Ex libris
Vosáriczky
30a

# DEVOTIO
## COMMUNIS
## SACERDOTUM ET CLERICORUM
## *CONGREGATIONIS MISSIONIS*

PRO MAJORI COMMODITATE

IN UNUM COLLECTA ET IMPRESSA

ANNO 1793.

Vilnæ Typis Basilianis.

# DEVOTIO MATUTINA.

*Sistere se coram Deo.*

O Deus infinitæ Majestatis, qui hic, & ubique præsens existis, credo te hic esse præsentem, videntem me & omnia interiora mea, cum tibi nihil occulum esse possit, te adoro, te laudo, te amo ex toto corde meo, ex tota mente mea, & ex totis viribus meis.

*Gratias Deo agere pro acceptis beneficiis.*

Gratias tibi ago liberalissime Domine, pro tot tantisque beneficiis a tua munifica bonitate, & liberalitate acceptis, præsertim vero pro eo, quod me creasti, quod me hucusque ac nominatim hac nocte conservasti, quod me pretioso sanguine redemisti, pro eo, quod me sa-

crosancto Baptismate regenerasti, ad hunc statum vocasti, a multis malis liberasti, denique pro illo incomprehensibili beneficio, quod me in numerum electorum filiorum tuorum, tam ad gratiam, quam ad gloriam, ut mihi humiliter persvadeo, pervenire fecisti.

*Offerre se, suaque Domino Deo.*

Offero tibi Domine, quidquid meum est, vel potius quidquid a te, habeo tua enim sunt omnia, quæ habeo, aut habere queo, offero tibi, quidquid hodie, quidquid cras, quidquid per totam vitam cogitaturus, dicturus, acturus, & passurus sum, offero tibi corpus, & animam meam, cum omnibus sensibus & facultatibus meis, pro tempore & æternitate.

*Petere auxilium a Domino Deo bene agendi.*

Tu ſcis Domine, quia ſine te nihil poſsum, idcirco recurro ad te fontem gratiæ, & immensum bonorum pelagus, ut mihi concedere digneris auxilium, quo omnia peccata vitare, & omnia operae mea ad majorem gloriam tuam, & ſalutem meam dirigere poſsim, quo ſecundum ſtatum meum vivere, & nulli offenſionem, ſeu ſcandalum dare valeam, ac omnia faciam in unione Divinæ illius intentionis, quam habuit Chriſtus Dominus, cum in terris degeret tuus enim volo eſse, nunc & in perpetuum.

## LITANIÆ

*De Sanctiſsimo Nomine Jesu.*

Kyrie eleyson, Chriſte eleyson, Kyrie eleyson.

Jesu audi nos, Jesu exaudi nos.

Pater de Cœlis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu Fili Dei vivi,
Jesu ſplendor Patris,
Jesu candor lucis æternæ,
Jesu Rex gloriæ,
Jesu ſol juſtitiæ,
Jesu Fili Mariæ Virginis,
Jesu admiralibis,
Jesu Deus fortis,
Jesu magni conſilii Angele,
Jesu potentiſsime,
Jesu patientiſsime,
Jesu obedientiſsime,
Jesu mitis & humilis corde,
Jesu amor caſtitatis,
Jesu amator noſter,
Jesu Deus pacis,
Jesu Author vitæ,
Jesu Exemplar virtutum,

Miserere nobis. Miserere nobis. Miserere nobis.

Jesu

Jesu Zelator animarum,
Jesu Deus nofter,
Jesu Refugium noftrum,
Jesu Pater pauperum,
Jesu Thesaurus Fidelium,
Jesu bone Paftor,
Jesu lux vera,
Miserere nobis.
Jesu ſapientia æterna,
Jesu bonitas infinita,
Jesu via & vita noftra,
Jesu gaudium Angelorum,
Jesu Magifter Apoftolorum,
Jesu Doctor Evangeliftarum,
Jesu Fortitudo Martyrum,
Jesu lumen Confeſsorum,
Jesu puritas Virginum,
Jesu Corona Sanctorum Omnium,
Miserere nobis.
Propitius efto, Parce nobis Jesu.
Propitius efto, Exaudi nos Jesu.
Ab omni malo, Libera nos Jesu.
Ab omni peccato, Libera nos Jesu.
Ab ira tua, Libera nos Jesu.

Ab insidiis Diaboli, Libera nos Jesu.
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per Mysterium S. Incarnationis tuæ,
Per Nativitatem tuam,
Per Infantiam tuam,
Per Divinissimam vitam tuam,

Libera nos Jesu.

Per Labores tuos,
Per agoniam & Passionem tuam,
Per crucem & derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem & sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

Libera nos Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis Domine.
Jesu audi nos, Jesu exaudi nos.

OREMUS.

Domine Jesu Chriſte, qui dixiſti: petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate & aperietur vobis, da nobis, quæsumus, petentibus diviniſsimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore & *opere diligamus* & a tua *laude* nunquam ceſsemus.

Humanitatis tuæ ipsa Divinitate unctæ Domine Jesu Chriſte, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditate tuæ dilectionis inſtituis. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Exaudiat nos Dominus noſter Jesus Chriſtus,

℟. Nunc & ſemper, Amen.

OREMUS.

Domine Deus Omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam, nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, & opera.

Dirigere & sanctificare, regere & gubernare dignare Domine Deus Rex cœli & terræ, hodie corda, & corpora nostra, sensus, sermones, & actus nostros in lege tua, & in operibus mandatorum tuorum, ut hic, & in æternum, te auxiliante, salvi & liberi esse mereamur Salvator mundi, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Sancta Maria & omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum, ut nos mereamur ab eo adjuvari, & salvari

vari, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

## DEVOTIO VESPERTINA.

*Puncta Examinis Generalis.*

1. Stawmy ſię przed obecnością Bożą i dziękuymy mu za wſzyſtkie nam od Niego dane dobrodzieyſtwa, osobliwie dnia dziſieyſzego.
2. Prośmy Pana Boga o poznanie grzechow naſzych, abyśmy ſię niemi brzydzili.
3. Przywiedźmy ſobie na pamięć wſzyſtkie grzechy naſze, któreśmy popełnili dnia dziſieyſzego, myslą, mową, uczynkiem, i opuſzczeniem, a one naybardziey, do których jeſteśmy ſkłonnieyſi.
4. Pobudźmy ſię do prawdziwego żalu za grzechy naſze, obiecuiąc Panu Bogu więcey nigdy nie grzeſzyć za pomocą łaſki jego Swiętey.

5. Bądźmy w takim ſtanie, w jakim chcemy bydź w oſtatnią godzinę śmierci naſzey.

*Poſtea dicitur:* Confiteor, Misereatur, & Indulgentiam absolutionem.

℣. Dignare Domine nocte iſta,
℟. Sine peccato nos cuſtodire.
℣. Miserere noſtri Domine,
℟. Miserere noſtri.
℣. Fiat misericordia tua Domine ſuper nos,
℟. Quemadmodum ſperavimus in te.
℣. In te Domine ſperavi,
℟. Non confundar in æternum.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Viſita, quæsumus, Domine habitationem iſtam, & omnes inſidias inimici ab ea longe repelle, Angeli

tui Sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper.

Respice, quæsumus, Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium & crucis subire tormentum. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

## LITANIÆ

### *De Beata Virgine Maria.*

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere:

Sancta Maria,
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater Divinæ Gratiæ,
Mater Purissima,
Mater Castissima,
Mater Inviolata,
Mater Intemerata,
Mater Amabilis,
Mater Admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo Prudentissima,
Virgo Veneranda,
Virgo Prædicanda,
Virgo Potens,
Virgo Clemens,
Virgo Fidelis,
Speculum Justitiæ,
Sedes Sapientiæ,
Causa nostræ letitiæ,

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Vas

Vas ſpirituale,
Vas honorabile,
Vas inſignæ devotionis,
Rosa Myſtica,
Turris Davidica,
Turris Eburnea,
Domus aurea,
Fœderis Arca,
Janua Cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Conſolatrix afflictorum,
Auxilium Chriſtianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apoſtolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confeſsorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum Omnium,

Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis. Ora pro nobis.

Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata &c.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

OREMUS.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere & glorioſa Beatæ Mariæ Virginis interceſsione a præsenti liberari triſtitia & æterna perfrui lætitia.

Sanctiſsimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæsumus, Domine meritis adjuvemur, ut quod poſsibilitas noſtra non optinet, ejus nobis interceſsione donetur, qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Angele Dei, qui cuſtos es mei, me tibi pietate ſuperna commiſsum, hac nocte illumina, cuſtodi, rege & guberna, Amen.

*Deinde dicitur Psalmus:* De profundis clamavi ad te Domine &c. *poſtea*

ORA-

## ORATIO.

Deus veniæ largitor, & humanæ salutis amator, quæsumus elementiam tuam, ut nostræ Congregationis fratres, propinquos & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

℣. Requiem æternam dona eis Domine,

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace,

℟. Amen.

*Ante cubitum*

## HYMNUS.

Te lucis ante terminum
Rerum creator poscimus,
Ut pro tua elementia,
Sis præsul & custodia.

Pro-

Procul recedant ſomnia,
Et noctium phantasmata,
Hoſtemque noſtrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præſta Pater piiſsime,
Patrique compar unice
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne ſæculum, Amen.

℣. In manus tuas Domine comendo ſpiritum meum,

℟. Redemiſti nos Domine Deus veritatis.

℣. Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi,

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

ANTYPHONA.

Salva nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes, ut vigilemus cum Chriſto & requiescamus in pace.

OREMUS.

O dulciſsime Domine Jesu, fac me ſu-

per pectus tuum requiescere, da mihi trahere anhelitum de melifluo corde tuo, influat Spiritus tuus ſvaviſsimus in animam meam, qui eam absorbeat, & inseparabiliter ſibi uniat. Tu mecum, quæso, hac nocte maneas, ut dormiente corpore, mens ſemper ad te vigilet, & te præsentem ſentiat. In te o bone Jesu dormiam & requiescam, qui plasmaſti me, paſsione tua redemiſti, ac ſanguine tuo ſanctificaſti, Miserere mei, Amen.

## DEVOTIO POENITENTIS

### Ante Confessionem

*Lumen Divinum ad cognoscenda peccata ſua humiliter a Deo poſtulantis.*

Domine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæso, ſplendore tuæ gratiæ cor meum, ut ſciam, quid deſit mihi. Scelera & delicta mea, qui-

bus

bus Majeſtatem tuam offendi, oſtende mihi. Faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum & doce me juſtificationes tuas. Diſsipa tenebras peccatorum, depelle caliginem vitiorum, aufer a me cor lapideum, & da mihi cor carneum, ut in me reverſus, ſcelerum meorum cognita fœditate, annos diesque vitæ meæ in amaritudine animæ meæ valeam recogitare, in ſpiritu humilitatis delicta mea confiteri, illaque corde contrito deplorare ac pœnitentia ſalutari ſordes coscientiæ meæ continuo poſsim abſtergere.

Domine Jesu Chriſte, candor lucis æterne, qui cœco juxta viam ſedenti lumen occulorum reſtituere mentemque ipſius interiori claritate illuſtrare dignatus es, emitte quoque in animam meam lucem tuam cœleſtem, ut videam omnia, & probem,

quæ beneplacita ſunt tibi, effunde ſuper me lumen ſupernum, & mentis depelle cœcitatem, ut noverim me, & noverim te Domine, intellectum da mihi Domine & vivam, deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui, tunc non confundar in æternum, cum perspexero in juſtificationibus tuis. Dixi confitebor ad versum me injuſtitiam meam, fac ergo misericodiſsime Deus, ut remittas impietatem peccati mei, Amen.

PSALMUS.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei Domine: quoniam infirmus ſum, ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea.

Et anima mea turbata eſt valde, ſed tu Domine usquequo?

Convertere Domine & eripe animam me-

meam, ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem, quis cofitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.

Turbatus eſt a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit.

Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur & ercebeſcant valde velociter.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,
℟. Sicut erat in principio nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, A.

OREMUS.

Domine Deus Sancte Pater Omnipotens, & miſericors, peccavi in Cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari Filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Juſte agis, ſi proiciis me a facie tua, ſed miſericordiæ tuæ recordaberis Domine, indignum gratia tua recipiens. In hac ineffabili bonitate tua confidens coram Divina tua Majeſtate pronus in genua procido, lachrymas fundo, veſtigia tua adoro & devote exoſculor, te humiliter deprecor. Reſpice in me miſericors Deus, propitiare mihi maximo peccatori. Prætende miſericordiam tuam ſcientibus te, da dextram quærentibus te. Ne

irascaris Domine in perpetuum ſuper malignitatem ſervi tui, ſed propter multitudinem miserationum tuarum dimitte, obsecro, omnem noxam peccatorum & ne deleas nomen meum de libro viventium, ſed in numero electorum tuorum, me describere digneris. O fons pietatis, & infinitæ miserationis, effunde ſuper me gratiam Spiritus tui, ut ad te attractus, & a peccatis retractus, tactus cordis dolore intrinsecus amarè defleam ſcelare mea. Peto Domine, ut ab omni peccatorum vinculo absolvas me, quia tempus miserendi eſt, quia venit tempus.

*Examinanda hic eſt conscientia, quid cogitaveris, dixeris, faceris, aut omiseris.* Poſtea dicitur

PSALMUS.

Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me.

Quia defecerunt ſicut fumus dies mei & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.

Percuſſus ſum, ut fœnum & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.

A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ.

Similis factus ſum pelicano ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.

Tota die exproprabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, adverſum me jurabant.

Quia cinerem tanquam panem manduca-

ducabam, & potum meum cum ſletu miſcebam.
A facie iræ & indignationis tuæ, quia elevans alliviſti me.
Dies mei ſicut umbra declinaverunt, ego ſicut fœnum arui.
Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.
Tu exurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.
Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus, & terræ ejus miserebuntur.
Et timebunt Gentes nomen tuum Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam.
Quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.
Respexit in orationem humilium, & non ſprevit precem eorum.

Scri-

Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.
Quia prospexit de excelso ſancto ſuo Dominus, de Cœlo in terram aspexit.
Ut audiret gemitus compenditorum, ut ſolveret filios interemptorum.
Ut anuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Jerusalem.
In conveniendo populos in unum, & Reges, ut ſerviant Domino.
Respondit ei in via virtutis ſuæ, paucitatem dierum meorum nuntia mihi.
Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem & generationem anni tui.
Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.
Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veterescent.

Et ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſæculum dirigetur.

℣. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,

℟. Sicut erat in principio, & nunc & ſemper & in ſæcula ſæculorum, A.

OREMUS.

Domine Jesu Chriſte, Creator ac Redemptor meus, pœnitet me ex toto corde meo, quod te Dominum & Deum meum offenderim, quem ex toto corde meo, & ex totis viribus meis amo & diligo. Propono firmiter amplius non peccare, omnesque peccandi occaſiones devitare, ac demum ſcelera mea ſincere ac fideliter confiteri. In ſatisfactionem autem delictorum meorum, offero ti-

bi

bi ſacratiſsimam vitam, paſsionem, ac mortem tuam, totumque pretium ſanguinis tui pro nobis effuſi. Concede mihi benigniſsime Jesu uberem gratiam tuam, qua, vitam ſancte inſtituere, mores meos emandere, peccata deplorare, tibique perfectè usque ad finem vitæ meæ, ſervire valeam, Amen.

## ORATIO

### *Humiliantis ſe coram Deo.*

Loquar ad Dominum, cum ſim pulvis, & cinis. Si me amplius reputavero, ecce tu ſtas contra me, dicuntque teſtimonium verum iniquitates meæ, nec poſsum contradicere. Si autem me vilificavero & ad nihilum redegero, atque ſicut ſum, pulverisavero, erit mihi propitia gratia tua, & vicina cordi meo lux tua. Si mihi ipſi relinquor, ecce nihil ſum, ſi autem ſubito me respexeris, ſta-

tim fortis efficior & novo repleor gaudio. Et mirum valde, quod ſic repente ſublevor, & tam benigne a te complector, qui proprio pondere ſemper ad ima feror. Facit hoc amor tuus, o bone Deus, gratis præveniens me & in tam multis neceſsitatibus ſubveniens mihi, a gravibus quoque cuſtodiens me periculis atque ab innumeris me eripiens malis. Me ſiquidem male amando, me perdidi; & te ſolum querendo, & pure amando, me & te pariter inveni. Quia tu, o Dulciſsime Jesu, facis mecum ſupra omne meritum, & ſupra id, quod audeo ſperare aut rogare. Benedictus ſis Deus meus, quia licet ego omnibus bonis indignus ſum, tua tamen nobilitas, & infinita bonitas nunquam ceſsat benefacere etiam ingratis, & longe a te averſis. Converte igitur me ad te, ut ſim gratus, humilis, &

de-

devotus; quia ſalus mea tu es, virtus & fortitudo mea.

*Acceſsurus ad Confeſsionem dic:*

Ecce ego misericordiſsime Domine, vilis, & indignus peccator, pauper & multum miserabilis, venio ad te ſuper fluentem abyſsum pietatis, ut me ab omni cordis macula abluere & ab omni peccato animam meam emundare digneris. Adjuva me Domine in hac hora & Spiritu principali confirma me: Deus propitius eſto mihi peccatori, Jesu Fili David miserere mei.

*Poſt Confeſsionem*

PSALMUS.

Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec eſt in ſpiritu ejus dolus.

 Quo-

Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua, conversus ſum in ærumna mea, dum conſigitur ſpina.

Delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor adversum me injuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos.

No-

Nolite fieri ſicut æquus & mulus, quibus non eſt intellectus.
In camo & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.
Multa flagella peccatoris, ſperantem autem in Domino misericordia circumdabit.
Lætamini in Domino & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde.
℣. Gloria Patri & Filio, &c.
℟. Sicut erat in pincipio, &c.

OREMUS.

Gratias tibi ago clementiſsime Jesu, quod me indignum peccatorem, ad ſacram pœnitentiam pertraxeris, veniam, & indulgentiam peccatorum meorum mihi conceſseris, atque in gratiam me per amanter recipere dignatus ſis, ſuscipe, obsecro, hanc humilem peccatorum meorum

confeſsionem, & quidquid mihi nunc defuit, tu misericorditer ſupplere, meque perfecte absolutum in cœlis habere digneris. Præſta auxilium gratiæ tuæ, ut deinceps peccata mea devitare, & tibi fidelius deservire valeam, juravi namque & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ te adjuvante. Qui vivis & regnas Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

Oremus.

Humiliter deprecor te Jesu Salvator bone, qui pretioſiiſsimo Sanguine tuo, me redemiſti, ne propter carnis corruptionem in æternum peream, neque in terram oblivionis veniam, ubi umbra mortis & ſempiternus horror inhabitat. Respice me Domine opus manuum tuarum in te ſperantem & in tua ſolummodo misericordia confidentem, recordare creaturæ tuæ, placare, obsecro, & miserere

rere

rere mei, & non avertas faciem tuam a me, ne perdas cum impiis animam meam, ſonet hæc vox mea in auribus misericordiæ tuæ, ut tuam, non carnis neque ſanguinis faciam voluntatem, & omnis mens mea, te meditetur, in te delectetur, te ſequatur, te confiteatur. In misericordia tua revixi & exsurrexi, quoniam ſegregaſti me a peccatis meis, te inſpirante egi pœnitentiam; quia tu tribuiſti mihi tempus converſſionis meæ, & ut te invenirem, tu prius quæſiviſti me, ut ad te redirem, tu compuliſti me, ut pro peccatis meis flerem, tu respexiſti me. Pone igitur Domine lachrymas meas in conspectu tuo & perveniat ad te in cœlum deprecatio mea, ut eruas me de ore leonis, & colloces me in regione viventium, quia tu es misericors Dominus, qui ſperantes in te non con-

fundis, requirentes te non dereliquis, revententes ad te non respuis, ſed exultando, ſuscipis & in æternum beatificas, Amen.

## PSALMUS.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non eſt pax oſsibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ ſupergreſsæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ a facie inſipientie meæ.

Miser factus ſum & curvatus ſum usque in finem tota die contriſtatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti ſunt il-

lu-

lusionibus, & non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me vitus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.

Quoniam in te Domine ſperavi, tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi: Ne quando ſupergaudeant mihi inimici mei, & dum commoventur pedes mei ſuper me magna locuti ſunt.

Quoniam ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.

Quoniam iniquitatem meam anuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, & confirmati ſunt ſuper me, & multiplicati ſunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne diſceſseris a me.

In-

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

℣. Gloria Patri & Filio, &c.

℟. Sicut erat in principio, &c.

Oremus.

O Pater Omnipotens æterne Deus, totus pius, totus misericors, ecce ego peccator omnium miserrimus, ante thronum majestatis tuæ prostratus confiteor maxima plurimaque peccata mea, quibus te unquam offendi. Agnoscis Domine ingratitudinem meam, quod tam parvi penderim infinita, ac inexistimabilia beneficia tua mihi hactenus collata. Tam longo tempore me expectasti, ut conversus ad te pœnitentiam agerem, & ne in profundam scelerum abyssum ruerem, tot modis ad justitiam sectandam me invitasti, & ut sequi te possem, eheu! quoties gratiam tuam obtulisti, quoties januam cordis mei, multifariis in-

spi-

spirationibus tuis pulsaſti, cupiens a me tibi aperiri, quoties tuis beneficiis me provocaſti, blanditiis pellexiſti, tribulationibus ac calamitatibus impuliſti, nihilominus te ſemper a me repuli, tibi reſtiti, tibi dorsum obverti, attamen tu pro infinita tua misericordia, atque patientia me ſuſtinuiſti. Juſte & pro meritis meis me in profundum inferni deturbare potuiſses, ſed tua clementia, iræ tuæ impetum cohibuiſti. Miserere igitur mei o clementiſsime Pater! aperi mihi infinitæ pietatis tuæ viscera, ſi vis, potes me mundare, ſana me Domine & ſanabor, ſalvum me fac & ſalvus ero; ne memineris iniquitatum mearum, cito anticipent me miserationes tuæ, amplius lava me ab iniquitate mea & a peccato meo munda me. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ, quia

apud

apud te Domine misericordia eſt, & copiosa apud te redemptio, Amen.

PSALMUS.

Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua juſtitia.

Et non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus eſt inimicus animam meam, humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris ſicut mortuos ſæculi, & anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te, anima

mea,

mea ſicut terra ſine aqua tibi.
Velociter exaudi me Domine: defecit Spiritus meus.
Non avertas faciem tuam a me, & ſimilis ero descendentibus in lacum.
Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quia in te ſperavi.
Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.
Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.
Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam propter nomen tuum Domine vivificabis me in æquitate tua.
Educes de tribulatione animam meam, & in misericordia tua disperdes inimicos meos.
Et

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego ſervus tuus ſum.

℣. Gloria Patri & Filio, &c.

℞. Sicut erat in principio, &c.

OREMUS.

O dulciſsime Jesu, ego ſum infelix peccator, qui te rursus peccatis meis Cruci affixi, ecce ſto ante te Judicem & Redemptorem meum, tot criminum reus, tot peccatis obnoxius. Obsecro te per vulnera tua, ut immundam, & multis criminibus deturpatam animam meam, ſanguine tuo abluere, & perfecte mundare digneris! Pretiosa tua morte vivifica me, ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo. O lux vera, illumina tenebras animæ meæ! O ignis consumens, exure in me vepres vitiorum, & tribulos peccatorum: accende in me amoris tui flammam,

mam, purifica conscientiam meam, & in ea gratam tibi fac mansionem, è peccatorum sordibus me extrahe, & ad te pertrahe, atque inseparabili amoris tui vinculo, me tibi conjunge, ut nulla jam amplius a te separari valeam tentatione. Perflue omnia interiora mea cœlesti dulcedine, ut omnibus creaturis mortuus tibi soli vivam, Amen.

## DEVOTIO MISSAM AUDIENDO.

*Initium Missæ.*

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

ANTYPHONA.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

PSALMUS.

Judica me Deus & discerne causam meam, de gente non Sancta, ab homine iniquo & doloso erue me.

Quia

Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam & veritatem tuam; ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

Confitebor tibi in Cithara Deus Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

ANTYPHONA.

Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.

*Deinde dicitur Confiteor, &c. Misereatur, &c, & Indulgentiam, &c.*

℣.

℣. Deus tu conversus vivificabis nos.
℟. Et plebs tua lætabitur in te.
℣. Oſtende nobis Domine misericordiam tuam,
℟. Et ſalutare tuum da nobis.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Aufer a nobis, quæsumus, Domine, iniquitates noſtras, ut ad hæc ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amee.

Pudet me Domine deformitatis, inopiæ & vilitatis meæ, innumeros enim agnoscens conscientiæ meæ reatus, neque in cœlum audeo levare oculos meos, ſed tantum voce mea clamo ad te, Deus propitius eſto mihi peccatori. O misericordiſsime Jesu,

su, animarum noſtrarum cœleſtis medice, asperge me hysopo & mundabor, lava me & ſuper nivem dealbabor, averte faciem tuam a peccatis meis & omnes iniquitates meas dele. Obsecro te Domine, ut quidquid vanitas cogitationum, verborum levitas ac operum pravitas, ſordidis animam meam asperſit maculis, tu pretioso ſanguine tuo eluere ac ſacratiſsima Paſsione tua expiare digneris!

*Ad Introitum*

ORATIO.

Dulciſsime Domine Jesu Chriſte, ecce ego accedo ad hæc Sancta, & tremenda, recollenda myſteria, concede igitur tuam mihi gratiam, ut digne & devote memoriam ſanctiſsimæ Paſsionis ac mortis tuæ valeam recogitare, neque otiosus huic ſanctiſsimæ oblationi tuæ aſsiſtam. Concute

cute terrenas omnes cogitationes animæ meæ, & duritiam cordis mei contere, tantorum commemoratione beneficiorum, Amen.

HYMNUS ANGELICUS.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, Benedicimus te, Adoramus te, Glorificamus te, Gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cœleſtis, Deus Pater Omnipotens, Domine Fili unigenite, Jesu Chriſte. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuscipe deprecationem noſtram. Qui ſedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu ſolus Sanctus, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſsimus Jesu Chriſte, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris, Amen.

ORE-

OREMUS.

Laudes & gratiarum actiones tibi Domine offerimus, ſuppliciter deprecantes, ut easdem, Angelicis pro nobis intervenientibus ſuffragiis, & placatus accipias, & ad ſalutem nobis provenire concedas. Deus, qui miro ordine Angelorum miniſteria, hominumque dispensas, concede propitius, ut a quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſsiſtitur, ab his in terra vita noſtra muniatur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Quando Sacerdos legit orationes, Epiſtolam, & Evangelium, ea, quæ ſequuntur, ad poscenda ſuffragia Sanctorum dici poſsunt*

OREMUS.

A cunctis nos, quæsumus, Domine, mentis & corporis defende periculis, & intercedente Beata & Glorioſa ſemper Virgine Dei Genitrice

Ma-

Maria, cum Beatis Apoſtolis tuis, Petro & Paulo, atque Beato Vincentio & omnibus Sanctis tuis, ſalutem nobis tribue benignus & pacem; ut deſtructis adverſitatibus & erroribus univerſis, Eccleſia tua, ſecura tibi ſerviat libertate.

Exaudi nos Deus Salutaris noſter; & per interceſsionem omnium Sanctorum tuorum, a cunctis nos mentis & corporis hoſtibus tuearis, gratiam tribuens in præsenti, & gloriam in futuro.

Mundet & muniat nos, quæsumus Domine, gratia tua, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, a cunctis nos reddat, & perverſitatibus expiatos & adverſitatibus expeditos. Deus, qui nos concedis Sanctorum tuorum natalitia colere, da nobis in æterna beatitudine, de eorum ſocietate gaudere.

De-

Deus, qui nos annua Sanctorum tuorum ſolemnitate lætificas, concede propitius, ut, quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

## SYMBOLUM.

Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem factorem cœli & terre, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jesum Chriſtum Filium *Dei* unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, descendit de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt, Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Et

resurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma, in remiſsionem peccatorum. Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi, Amen.

OREMUS.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis in confeſsione veræ fidei, eternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia Majeſtatis adorare unitatem, quæſumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus ſem-

ſemper muniamur adverſis, & Spiritus tui fervore concepto, non ſolum in fide inveniamur ſtabiles, ſed & in opere efficaces. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

*Ad offertorium.*

Suſcipe Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hoſtiam, quam per manus Sacerdotis tui, ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo, vivo & vero, pro innumerabilibus peccatis & offenſionibus, & negligentiis meis, & pro omnibus circumſtantibus, ſed & pro omnibus fidelibus Chriſtianis vivis atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad ſalutem in vitam æternam, Amen.

Deus, qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem, mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti, da nobis per hujus aquæ & vini myſterium, ejus

Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps Jesus Christus Filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit & regnat, in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum, A.

Offerimus tibi Domine calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu Divinæ Majestatis tuæ, pro nostra & totius mundi salute cum odore svavitatis ascendat, Amen.

In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur a te Domino, ut sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

*Ad lotionem manuum*

PSALMUS.

Lavabo, inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.

Ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum, redime me, & miserere mei.

Pes meus ſtetit in directo, in Eccleſiis benedicam te Domine.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

OREMUS.

Deus innocentiæ reſtitutor, & ſanctitatis amator, purifica & ſanctifica animam meam, & ab immani peccatorum ſervitute vindica me.

Dealba me & munda cor meum, omnemque carnalium, ac sæcularium desideriorum fomitem in me extingue. Exue me Domine veterem hominem, cum actibus suis; & indue me novum, qui creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Da, ut gratia tua cœlesti præventus, ac confortatus, sine pollutione mentis, & corporis in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ meæ tibi valeam deservire, Amen.

Suscipe Sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Jesu Christi Domini nostri, & in honorem Beatæ Mariæ semper Virginis, & Beati Joannis Baptistæ, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & istorum, & omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem,

&

& illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

*Ad Canonem.*

Te igitur Clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas, & benedicas, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata; inprimisque tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum una cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. & omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.

ORATIONES

*Tempore Memento vivorum.*

*Pro se ipso.*

Omnipotens & misericors Deus, hu-

militatis meæ preces benignus intende, & me famulum tuum, quem nullis ſuffragantibus meritis, ſed immensa clementiæ tuæ largitate ad hunc ſtatum venire tribuiſti dignum ſacris altaribus aliquando fac miniſtrum, ut tuæ Majeſtati, laudabiliter merear famulari.

*Pro Congregatione.*

Defende, quæsumus, Domine, Beata Maria ſemper Virgine intercedente iſtam ab omni adverſitate familiam, & toto corde tibi proſtratam, ab hoſtium propitius tuere inſidiis.

*Pro Parentibus & Consanguineis.*

Deus, qui nos Patrem & Matrem honorare præcepiſti, da Parentibus, omnibusque consanguineis meis, ſalutem mentis & corporis, conserva eos in tuæ fidei pietate, & fervore, ab omni corporis, animæque

pe-

periculis eos custodi, gratiamque illis largiri digneris, ne unquam a te separentur, sed propitium te semper Patrem experiantur.

*Pro Confratribus.*

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse: da cordibus nostris, inviolabilem tuæ charitatis affectum; ut te tota virtute diligamus, &, quæ tibi placita sunt, perficiamus. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OREMUS.

Deus innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut spiritus tui fervore concepto, & in vocatione sua inveniantur stabiles, & in opere bono efficaces. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate &c.

Memento etiam Domine, & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro

quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, hoc ſacrificium laudis, pro ſe, ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tib que reddunt vota ſua, æterno Deo vivo & vero.

Communicantes, & memoriam venerantes, inprimis gloriosæ ſemper Virginis Mariæ Genitricis Dei, & Domini noſtri Jesu Chriſti, ſed & Beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum tuorum, & omnium Sanctorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus, protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine, ut placatus accipias, diesque noſtras in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione

one nos eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

*Ad Elevationem.*

Adoro te devote latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subiicit,
Quia te contemplans, totum deficit,
Visus, gustus, tactus in te fallitur;
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo, quidquid dixit Dei Filius,
Nihil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
Sed hic latet simul & humanitas;
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto, quod petivit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas non intueor,
Deum tamen meum te confiteor,
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,

Panis verus, vitam præſtans homini!
Præſta meæ menti de te vivere,
Et te illi ſemper dulce ſapere.
Pie Pelicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo ſanguine,
Cujus una ſtilla ſalvum facere,
Totum mundum quit ab omni ſce-
lere.
Jesu quem velatum nunc aspicio,
Oro, fiat, illud, quod tam ſitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu ſim beatus tuæ gloriæ, Amen.

O ſacrum convivium, in quo Chri-
ſtus ſumitur, recolitur memoria paſ-
sionis ejus, mens impletur gratia, &
futuræ gloriæ nobis pignus datur.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti ei,
℟. Omne delectamentum in ſe ha-
bentem.

OREMUS.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mi-
rabili, Paſsionis tuæ memoriam
re-

reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos corporis & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

*Ad Memento mortuorum.*

Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis.

OREMUS.

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor animabus famulorum famularumque tuarum, remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii,

lu-

lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miserationum tuarum ſperantibus, partem aliquam, & ſocietatem donare digneris, cum tuis Sanctis Apoſtolis & Martyribus, ac omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Poſt Pater noſter, &c.*

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris, & intercedente Beata & Gloriosa ſemper Virgine Dei Genitrice Maria, cum Beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea & omnibus Sanctis; da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope mi-

misericordiæ tuæ adjuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ANTYPHONA.

O quam ſuavis eſt Domine Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuaviſsimo de cœlo præſtito, esurientes reples bonis, faſtidiosos divites dimittis inanes.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti,
℟. Et de petra mele ſaturavit eos.

OREMUS.

Domine Jesu Chriſte, qui nos ſanctiſsimo Corporis & Sanguinis tui Sacramento, ad imaginem tuam renovas, & in vitam æternam hoc cœleſti convivio nutris ac refoves; præſta, quæsumus, ut hæc ſacroſancta hoſtia, & calix benedictionis ſit nobis

bis cœleste, quo a peccatis præservamur, antidotum, contra omnes Diaboli insidias fortissimum munimen, immortalitatis farmacum, atque æternæ beatitudinis pignus inviolabile, Amen.

O Jesu per desiderium illud, quo hoc pascha cum Discipulis manducare desiderasti, te deprecamur, ut nobis fidem, reverentiam, & devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere & conservare digneris.

O Jesu per ardentissimam charitatem, qua hoc Divinum Sacramentum instituisti, te rogamus, ut ad frequentem Eucharistiæ usum per veram peccatorum nostrorum confessionem & vitæ emendationem nos perducere digneris.

O Jesu per sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti, Te deprecamur, ut in hora mortis no-

strae

ſtræ hoc cœleſti Viatico, nos confortare & munire digneris.

O Jesú per quinque vulnera hujus corporis ſacratiſsimi, quæ pro nobis ſuscepiſti, Te rogamus, ut nos ab omni perfidia & cordis cœcitate liberare, ad cœnamque vitæ æternæ perducere digneris.

O Jesu bone Paſtor, panis vere, tu noſtri miserere, tu nos pasce, nos tuere, tu nos bona fac videre in terra viventium. Tu qui cuncta ſcis & vales, qui nos pascis hic mortales, tuos ibi commensales, cohæredes & ſodales fac ſanctorum civium, Amen.

*Ad Communionem.*

O Jesu Redemptor mi dulciſsime, per hoc ſacratiſsimum Corporis & Sanguinis tui Sacrificium refice vires animæ meæ, & cunctam a me hoſtis antiqui depelle nequitiam, effice

me

me hominem ſecundum cor tuum, interius exteriusque renova, expelle a me ſpiritum ſuperbiæ, & da mihi fidem ſolidam, ſpem firmam, charitatem ardentem; averte a me vanitatem mentis, inconſtantiam cordis, elationem oculorum, ventris intemperantiam, repelle a me omnem temeritatem, iniquam pertinaciam, inquietudinem, ſomnolentiam, linguæ effrenationem. Da mihi miſericordiæ opera, pietatis ſtudia, da mihi bonos imitari, malos cavere, virtutes amplecti, vitia extirpare. Da, ut tua gratia adjutus ac roboratus, poſsim evadere in virum perfectum, & occurrere in ætatem plenitudinis tuæ, ac poſt hanc vitam pleno & dilatato ore, deſiderabiliſsimæ Divinitatis tuæ ſuavitate perfrui merear, Amen.

Da mihi Domine Deus ſedium tuarum aſsiſtricem ſapientiam, quæ

me-

mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit apud te omni tempore. Da Domine ſervo tuo cor docile, & in disciplinis tuis inſtrue me, ut cuſtodiam judicia juſtitiæ tuæ. Deus meus, illumina tenebras meas, & caliginem oculorum meorum luce claritatis tuæ illuſtra, Amen.

*Ad Benedictionem*

## ORATIO.

Domine Jesu Chriſte, qui ascendens in cœlum elevatis manibus Discipulis tuis benedixiſti, benedic etiam nobis famulis tuis, & concede, ut in odorem unguentorum tuorum curramus, te in omnibus ſequamur, tibi adhæreamus, ac poſtpoſitis mundi vanitatibus, ſola cœleſtia appetamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Præ-*

ANTYPHONA.

Ne reminiscaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum, neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

## PSALMUS.

De profundis clamavi ad te Domine; Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris Domine: Domine, quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus, ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina usque ad noctem, ſperet Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Et

Et ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

Kyrie eleyson. Chrifte eleyson, Kyrie eleyson. Pater nofter:

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi Domine miserere mei,

℟. Sana animam meam; quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum

℟. Et deprecare fuper fervos tuos,

℣. Fiat misericordia tua Domine fuper nos,

℟. Quemadmodum fperavimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur juftitiam,

℟. Et Sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me Domine,

℟. Et ab alienis parce fervo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟.

℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus inclina precibus nostris & gratia Sancti Spiritus illumina cor nostrum, ut tuis mysteriis digne ministrare teque æterna charitate diligere mereamur. Deus, cui omne cor patet & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet secretum, purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

Ure igne Sancti Spiritus, renes nostros, & cor nostrum Domine, ut tibi casto corpore serviamus, & mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paracletus, qui a te procedit, illu-

illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Adſit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus Sancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

Deus, qui corda fidelium, Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti; da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper consolatione gaudere.

Conscientias noſtras, quæsumus, Domine viſitando purifica, ut veniens Dominus noſter Jesus Chriſtus Filius tuus, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

OREMUS.

Ad mensam dulciſſimi convivii tui pie Domine Jesu Chriſte, ego peccator de propriis meritis nihil præsumens,

mens, ſed de tua confidens misericordia & bonitate, accedere vereor & contremisco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem, & linguam non caute cuſtoditam. Ergo o pia Deitas, o tremenda Majeſtas, ego miser inter anguſtias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro, ad te feſtino ſanandus, ſub tuam protectionem fugio, & quem judicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſuspiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo, tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa, & magna, pro quibus timeo, ſpero in misericordias tuas, quarum non eſt numerus. Respice ergo in me oculis misericordiæ tuæ Domine Jesu Chriſte, Rex æterne, Deus & homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me ſperantem in te, miserere mei pleni mise-

riis & peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima pro me, & omni humano genere in patibulo crucis oblata. Salve nobilis & pretiose sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, & peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare, quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates & peccata mea, ut purificatus mente & corpore digne degustare merear sancta sanctorum, & concede, ut hæc sancta prælibatio Corporis, & Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio,

operumque tibi placentium ſalubris efficacia, animæ quoque & corporis, contra inimicorum meorum inſidias firmiſsima tuitio, Amen.

OREMUS.

Summe Sacerdos & vere Pontifex Jesu Chriſte, qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram & immaculatam, in ara crucis, pro nobis miseris peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum & ſanguinem tuum ad bibendum. Rogo te per immensam charitatem tuam, doce me per Spiritum Sanctum tuum tantum tractare myſterium, ea reverentia, & honore, ea devotione, & timore, quibus oportet & decet. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, ut Miſsarum ſolemnia, mundo corde & pura mente valeam celebrare. Libera cor meum, ab immundis, nefandis, vanis & noxiis cogi-

ta-

tationibus. Muni me Beatorum Angelorum pia custodia, ac fortissima tutela, ut hostes omnium bonorum, confusi discedant. Confundantur, qui me persequuntur, pereant illi, qui me perdere festinant. Tu misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, memorare, quæ mea sit substantia, ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super me contineas. Aufer a me iniquitates meas, & ignem Spiritus Sancti tui, in me clementer accende; aufer cor lapideum de carne mea, & da mihi cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Intra in animam meam, sana & munda me interius, & exterius, esto tutamen, & tegimen animæ & corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes, recedant procul a præsentia poten-

tiæ tuæ, ut foris & intus, per te munitus, recto tramite ad regnum tuum valeam pervenire, Amen.

Oremus.

Deus, qui de indignis, dignos facis, de peccatoribus juſtos, & de immundis, mundos conſtituis, munda cor, & corpus meum ab omni contagione & ſorde peccati, & fac me dignum atque ſtrenuum Sanctis Altaribus tuis miniſtrum. Concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, hoſtias acceptabiles, atque placabiles offeram pietati tuæ, pro peccatis, & offenſionibus, innumerisque & quotidianis exceſsibus meis, atque cunctorum ſimul Chriſtianorum culpis abluendis, & per eum ſit tibi votum meum acceptabile, qui ſe tibi Deo Patri pro nobis obtulit ſacrificium. Qui tecum vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. A.

Ore-

Oremus.

O Mater pietatis, & misericordiæ Beatissima Virgo Maria, ego miser & indignus peccator ad te confugio, atque toto corde, & affectu, precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita & mihi misero peccatori hodie offerenti, clementer assistere digneris, ut tua gratia adjutus, dignam & acceptabilem hostiam, in conspectu summæ & individuæ Trinitatis offerre valeam.

Ego volo celebrare Missam & conficere Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque curiæ triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque curiæ militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt, orationibus meis, in gnere & in specie, &

pro felici ſtatu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ac totius Congregationis noſtræ.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, gratiam & consolationem Sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, & in hoc ſtatu, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, Amen.

*Gratiarum actio poſt Miſsam.*

ANTYPHONA.

Trium puerorum cantemus hymnum, quem cautabant Sancti in camino ignis benedicentes Dominum.

Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœ-

cœlos ſunt, Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino.
Benedicite ſol, & luna Domino, benedicite ſtellæ cœli Domino.
Benedicite omnis imber & ros Domino, benedicite omnes Spiritus Dei Domino.
Benedicite ignis & æſtus Domino, benedicite frigus & æſtus Domino.
Benedicite rores & pruina Domino. benedicite gelu & frigus Domino,
Benedicite glacies, & nives Domino, Benedicite noctes & dies Domino.
Benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite fulgura & nubes Domino.
Benedicat terra Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.
Benedicite montes, & colles Domino, benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino, benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete & omnia, quæ moventur in aquis, Domino, benedicite omnes volueres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino, benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite Sacerdotes Domini Domino, benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino, benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Be-

Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula, Amen.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster:

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua,

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis Domine, non nobis,

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum,

℟. Et cum Spiritu tuo.

ORE MUS.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propi-

tius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, & adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio, & operatio a te semper incipiat, & per te cæpta finiatur. Da nobis, quæsumus, Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui Beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OREMUS.

Rex Virginum Christe Jesu, amator castitatis & integritatis, cœlesti rore benedictionis tuæ, extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis, corporis & animæ! Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnesque libidinosas commotiones comprime, da mihi veram & perpetu-

tuam caſtitatem, mentis puritatem, & corporis integritatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi in veritate placent, Amen.

Transfige dulciſsime Domine Jesu Chriſte, medullas & viscera animæ meæ, ſuaviſsimo ac ſaluberrimo amoris tui vulnere, vera, ſerenaque & Apoſtolica ſanctiſsima charitate, ut langueat & liquefiat anima mea, ſolo ſemper amore, & deſiderio tui, te concupiscat & deficiat in atria tua, cupiat diſsolvi, & eſse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, panem Angelorum, refectionem animarum ſanctarum, panem noſtrum quotidianum ſupersubſtantialem, habentem omnem dulcedinem & ſaporem, & omne delectamentum ſuavitatis, te, in quem deſiderant Angeli prospicere ſemper esuriat & comedat, cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur vi-

scera animæ meæ. Te ſemper ſitiat fontem vitæ, fontem ſapientiæ & ſcientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei, te ſemper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, & omnia operetur in laudem & gloriam nominis tui, cum humilitate, & discretione, cum dilectione & delectatione, cum facilitate & affectu, cum perseverantia usque in finem; & tu ſis ſolus ſemper ſpes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies & tranquillitas mea, pax mea, ſuavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, ſapientia mea, portio mea, poſſeſio mea, theſaurus meus, in quo fixa, & firma, & immobiliter ſem-

per

per ſit radicata mens mea, & cor meum, Amen.

Anima Chriſti ſanctifica me, corpus Chriſti ſalva me, ſanguis Chriſti inebria me, aqua lateris Chriſti munda me, o bone Jesu exaudi me, intra vulnera tua; absconde me, & ne permittas me ſeparari a te, ab hoſte maligno defende me, in hora mortis meæ voca me, & pone me juxta te, ut cum Angelis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum, Amen.

Obsecro te dulciſsime Domine Jesu Chriſte, ut paſsio tua ſit mihi virtus, qua muniar, protegar, atque defendar. Vulnera tua, ſint mihi cibus, potusque, quibus pascar, inebriar & delecter. Aſperſio ſanguinis tui ſit mihi ablutio omnium peccatorum meorum. Mors tua ſit mihi gloria ſempiterna, ſalus, vita, & reſurectio mea. Adjuvet nos gratia tua

omni-

omnipotens Deus, ut, qui officium Sacerdotale ſuscipimus, digne & devote tibi, in omni puritate & conscientia bona famulari valeamus. Etſi non poſſumus in tanta innocentia vitæ conversari, ut debemus, concede nobis tamen digne flere, mala, quæ geſsimus, ut in ſpiritu humilitatis, ac bone voluntatis propoſito tibi ferventius de cætero deservire poſsimus, Amen.

## PRÆPARATIO

*ad Sacram Communionem.*

### PSALMUS.

Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes

die

die ac nocte; dum dicitur mihi quotidie: ubi eſt Deus tuus?

Hæc recordatus ſum & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei.

In voce exultationis & confeſsionis, ſonus epulantis.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim a monte modico.

Abyſſus abyſſum invocat, in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua & fluctus tui, ſuper me tranſierunt.

In die mandavit Dominus misericor-

diam

diam ſuam, & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo: ſusceptor meus es.

Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur oſſa mea, exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies: ubi eſt Deus tuus? Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei & Deus meus.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

ORREMUS.

Domine Jesu Chriſte, Filii Dei vivi, qui ex voluntate Patris, co-

ope-

operante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum Corpus & Sanguinem tuum, ad quod indignus accedere præsumo, ab omnibus iniquitatibus meis & universis malis, & fac me tuis semper inhærere mandatis, & a te nunquam separari permittas Qui vivis & regnas &c.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, accedo tanquam infirmus, ad medicum vitæ, immundus, ad fontem misericordiæ, cœcus, ad lumen claritatis æternæ, pauper & egenus, ad Dominum cœli & terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cœcitatem, ditare pauperta-

tem,

tem, veſtire nuditatem, ut te Panem Angelorum, Regem Regum, & Dominum Dominantium, tanta ſuscipiam reverentia & humilitate, tanta contritione & devotione, tanta puritate & fide, tali propoſito & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici corporis & ſanguinis, non ſolum ſuscipere Sacramentum, ſed etiam rem & virtutem Sacramenti. O! mitiſsime Deus da mihi corpus Unigeniti Filii tui Domini noſtri Jesu Chriſti, quod traxit de Virgine Maria, ſic ſuscipere, ut corpori ſuo myſtico, merear incorporari & inter ejus membra connumerari. O amantiſsime Pater! concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via ſuscipere propono, revelata tandem facie perpetua contemplari. Qui tecum vivit & regnat &c.

ORA-

# ORATIO
*Humiliantis se coram Deo.*

Intonas super me judicia tua Domine, & timore ac tremore concutis omnia ossa mea, & expavescit valde anima mea. Sto attonitus & considero, quia cœli non sunt mundi in conspectu tuo; si in Angelis reperisti pravitatem, nec tamen pepercisti, quid fiet de me? ceciderunt stellæ de cœlo, & ego pulvis, quid præsumo? Quorum opera videbantur laudabilia, ceciderunt ad infima, & qui comedebant panem Angelorum, vidi siliquiis delectari porcorum. Nulla est ergo sanctitas, si manum tuam Domine subtrahas. Nulla prodest sapientia, si gubernare desistas. Nulla juvat fortitudo, si conservare desinas. Nulla secura castitas, si eam non protegas. Nulla propria prodest custodia, si non adsit tua sacra vigilan-

lantia. Nam relicti mergimur & perimus, visitati vero erigimur, & vivimus. Instabiles quippe sumus: sed per te confirmamur, tepescimus, sed a te accendimur. O quam humiliter & abjecte mihi de me ipso sentiendum est! Quam nihili pendendum, si quid boni videar habere? O quam profunde submittere me debeo sub abyssalibus judiciis tuis Domine, ubi nihil aliud me esse invenio, quam nihil & nihil! Dies hujus temporis parvi & mali, pleni doloribus, & angustiis. Ubi homo multis peccatis inquinatur, multis passionibus irretitur, multis timoribus stringitur, multis curis distenditur, multis curiositatibus distrahitur, multis vanitatibus implicatur, multis eroribus circumfunditur, multis laboribus atteritur, tentationibus gravatur, deliciis enervatur, passionibus crutiatur. O quando

do finis horum malorum, quando liberabor a misera servitute vitiorum, quando memorabor Domine tui solius, quando plenæ lætabor in te? Consolare exilium meum, mitiga dolorem meum, quia ad te suspirat omne desiderium meum. Gratias tibi ago, quia non pepercisti malis meis, sed attrivisti me, verberibus amoris, infligens dolores, & immittens angustias, foris, & intus In manibus tuis sum ego, sub virga correctionis tuæ me inclino. Percute dorsum meum & collum meum, ut incurvem ad voluntatem tuam tortuositatem meam. Fac me pium, ac humilem discipulum, ut semper ambulem ad omnem nutum tuum. Fac mecum desideratum beneplacitum tuum, & ne despicias peccaminosam vitam meam, nulli melius, nec clarius, quam tibi soli notam. Tua me

gra-

gratia semper & præveniat & sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentum, Amen.

*Monitum Sancti Augustini, excitans ad digne & frequenter Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum suscipiendum.*

Pias, quæso, cogitationes suscipias, studiose, sancteque vivas, & benedictionem participes, quæ non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit. Sedat enim (cum in nobis maneat Christus) sævientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus suis posuit, ab omni nos erigit casu.

*Propriæ conscientiæ brevis discussio, ad peccatorum suorum concipiendam detestationem, dolorisque actum ferventius eli-*

*eliciendum ex Thoma a Kempis desumpta.*

Cunctas Passionum tuarum miserias vide, atque recogita, & in secreto cordis tui, Deo confitere. Ingemisce, & dole, quod adhuc ita carnalis sis & mundanus; Tam immortificatus a Passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus;

Tam incustoditus in sensibus, & vanis phantasiis implicatus; Tam multum inclinatus ad exteriora, & negligens ad interiora;

Tam levis ad risum, pronus ad dissolutionem; tam durus ad fletum & compunctionem;

Tam promptus ad laxiora & carnis commoda; tam segnis ad rigorem & fervorem;

Tam curiosus ad nova audienda, tam remissus ad humilia amplectenda;

Tam

Tam inconſideratus in loquendo; tam incontinens in tacendo;

Tam incompoſitus in moribus; tam importunus in actibus;

Tam effusus ſuper cibum; tam ſurdus ad Dei verbum;

Tam velox ad quietem; tam tardus ad laborem;

Tam vigilans ad fabulas; tam ſomnolentus ad vigilias;

Tam tepidus in orando; tam aridus in meditando;

Tam cito diſtractus; tam raro plene recollectus;

Tam ſubito commotus ad iram; tam facilis ad alterius diſplicentiam;

Tam pronus ad judicandum; tam rigidus ad arguendum;

Tam ſæpe multa bona proponens, & modicum ad effectum perducens.

Hæc cum dolore, & magna propriæ infirmitatis diſplicentia deplora,

ra, & propositum vitam tuam emendandi, similiter statue.

ORATIO.

*Pœnitentis, & pro peccatis dolentis.*

Propitiare clementissime Deus mihi peccatori, esto exorabilis mihi servo tuo, ex intimo corde pœnitenti & dolenti. Parce mihi Domine, da veniam ad te revertenti, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba oris mei. Mirifica super me misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te. O clemens & misericors Deus, qui non vis perire opera tua, ad ostendendum divitias bonitatis tuæ, respice me indignum peccatorem, ne proicias me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. Ne perdas cum impiis animam meam, neque cum viris sanguinum vitam meam. Averte faciem tuam a peccatis meis & omnes iniquitates

meas dele. Fiant aures tuæ intendentes in vocem depræcationis meæ. Etenim misericordissime Deus, iniquitates si observaveris, quis sustinebit? Apud te propitiatio est, & & copiosa nimis redemptio. Prætende misericordiam scientibus te, porrige dexteram quærentibus te. Erravi sicut ovis quæ periit, require servum tuum Domine; visita me in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua, quam acquisisti sanguine tuo, Amen.

## ORATIO

*Postulantis gratiam ad bene & devote communicandum.*

Domine Deus, præveni servum tuum in benedictionibus dulcedinis tuæ, ut ad tuum magnificum Sacramentum, digne ac devote merear ac-

ce-

cedere. Excita cor meum gratia tua, & a gravi torpore exue me, visita me in salutari tuo, ad gustandum in Spiritu suavitatem tuam, quæ in hoc Sacramento, tanquam in fonte, plenè latet. Jllumina quoque occulos meos, ad intuendum tantum mysterium, & ad credendum illud, in dubitata fide. Ecce in sudore vultus mei laboro, dolore cordis torqueor, peccatis oneror, tentationibus inquietor, multis passionibus implicor, & non est qui adjuvet, non est qui liberet & salvum faciat; nisi tu Domine Deus Salvator meus, cui me, & omnia mea committo, ut me custodias & in vitam æternam perducas, Amen.

Super bonitate tua, & magna misericordia tua Domine confisus, accedo æger ad Salvatorem, esuriens & sitiens ad fontem vitæ, egenus ad Regem cœli, servus ad Dominum,

 cre-

creatura ad creatorem, desolatus ad meum pium consolatorem. Ecce ego Domine venio ad te, ut bene mihi ſit, ex munere tuo, ut lætiſicer in convivio Sancto tuo, quod paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Ecce in te eſt totum, quod deſiderare poſſum & debeo, tu ſalus mea, & redemptio, ſpes & fortitudo, decus & gloria mea. Lætiſica ergo hodie animam ſervi tui, quoniam ad te Domine Jesu levavi animam meam. Deſidero te nunc devote ac reverenter ſuscipere, cupio te in domum meam inducere, quatenus cum Zachæo merear a te benedici, ac inter Filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiscit, cor meum tecum uniri deſiderat. Trade te mihi, & ſufficit. Nam præter te, nulla valet consolatio. Sine te eſse nequeo, & ſine viſitatione tua vivere non valeo.

leo. Tu es enim, ſuavis refectio animæ meæ, & qui te digne manducaverit, particeps & hæres æternæ gloriæ erit. O felix mens, & beata illa anima, quæ te Dominum Deum ſuum meretur devote ſuſcipere, & in tui ſusceptione ſpirituali gaudio repleri. Præſta Domine Deus ſalutaris meus, ut cum frequentatione tui Sanctiſsimi myſterii, creſcat meæ devotionis affectus, Amen.

## GRATIARUM ACTIO

*Poſt Sacram Communionem.*

### PSALMUS.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.
In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur.
Magnificate Dominum mecum, & axaltemus nomen ejus in idipsum.
Exquiſivi Dominum, & exaudivit

me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

Iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus ſalvavit eum.

Immitet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, beatus vir, qui ſperat in eo.

Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam non eſt inopia timentibus eum.

Divites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono.

Venite filii audite me, timorem Domini docebo vos.

Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

Pro-

Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.
Diverte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.
Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.
Vultus autem Domini ſuper facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.
Clamaverunt juſti, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.
Juxta eſt Dominus iis, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit.
Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.
Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum; unum ex his non conteretur.
Mors peccatorum peſsima, & qui oderunt juſtum delinquent.

Redimet Dominus animas ſervorum ſuorum, & non delinquent omnes, qui ſperant in eo.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

ANTYPHONA.

O ſacrum convivium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria Paſsionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, Alleluja.

℣. Panem de cœlo præſtitiſti eis,

℟. Omne delectamentum in ſe habentem.

OREMUS.

Deus, qui nobis ſub Sacramento mirabili, Paſsionis tuæ memoriam reliquiſti: tribue, quæsumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter ſentiamus.

Perceptio Corporis & Sanguinis

tui

tui Domine Jesu Christe, quod ego hodie sumere præsumpsi, non mihi proveniat in judicium, & condemnationem sed pro tua pietate, prosit mihi, ad tutamentum mentis & corporis, & ad medelam percipiendam. Qui vivis & regnas &c.

Corpus tuum Domine, quod sumpsi, & sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis, & præsta, ut in me non remaneat scælerum macula, quem pura & sancta refecterunt Sacramenta. Qui vivis & regnas &c.

OREMUS.

Gratias tibi ago, Domine Sancte Pater omnipotens æternæ Deus, qui me peccatorem, indignum Famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es prætioso Corpore & Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et præcor, ut hæc San-

cta Communio non sit mihi reatus ad pænam, sed intercesſio salutaris ad veniam. Sit armatura Fidei & scutum bonæ voluntatis, sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ & libidinis exterminatio, charitatis & patientiæ, humilitatis & obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quam invisibilium firma defensio, motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium perfecta quietatio, in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque finis mei felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, & Spiritu Sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum jucunditas consummata, & felicitas

perfecta. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIO.

Ad te sunt oculi mei Domine, in te confido Deus meus misericordiarum Pater, benedic & sanctifica animam meam benedictione cælesti, ut fiat habitatio sancta tua, & sedes æterne gloriæ tuæ nihilque in Templo tuæ dignitatis inveniatur, quod oculos tuæ Majestatis offendat, Secundum magnitudinem bonitatis tuæ, & multitudinem miserationum tuarum, respice in me, & exaudi orationem pauperis servi tui, longe exulantis in regione umbræ mortis. Protege & conserva animam servuli tui, inter tot discrimina vitæ corruptibilis, ac comitante gratia tua, dirige me per viam pacis, ad patriam perpetuæ claritatis, Amen.

## ORATIO.

*Pro impetranda pace animæ, contra vim facientes tentationes.*

Domine Deus meus, ne elongeris a me, Deus meus in auxilium meum respice, quoniam insurrexerunt in me variæ cogitationes, & timores magni, affligentes animam meam. Quomodo pertranſibo illæsus? quomodo perfringam eas? Fugiant o Domine, a facie tua omnes iniquæ cogitationes, in te ſpes mea, & unica consolatio mea, ad te in omni tribulatione confugere, tibi confidere, te ex intimo invocare, & patienter tuam consolationem expectare. Clarifica me Jesu bone, claritate interni luminis, & educ de habitaculo cordis mei, tenebras universas, cohibe evagationes multas, & vim facientes elide tentationes; pugna fortiter pro me, & expugna malas be-

ſtias

ſtias, concupiſcentias illecebroſas, ut fiat pax in virtute tua, & abundantia laudis tuæ reſonet in conſcientia pura. Impera ventis & tempeſtatibus. dic mari quieſce, & Aquiloni ne flaveris, & erit tranquillitas magna. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ut luceant ſuper terram, quia terra inanis & vacua ſum ego, donec illumines me, Amen.

ORATIO.

*Gratiam Sanctæ devotionis poſtulantis.*

Effunde Domine gratiam deſuper; perfunde cor meum rore cœleſti, miniſtra devotionis aquas ad irrigandam faciem terræ, ad producendum fructum bonum, & optimum. Eleva mentem preſſam mole peccatorum & ad cœleſtia totum deſiderium meum converte, ut guſtata ſuavitate ſupernæ felicitatis, pigeat de terrenis cogitare. Rape me, & eripe,

ab

ab omni indurabili creaturarum amore, quia nulla res creata appetitum meum valet plenariæ quietare, & consolari. Junge me tibi inseparabili dilectionis vinculo, quia tu ſolus ſufficis amanti, & absque te, frivola ſunt universa. O lux beatiſsima, cuncta creata transcendens, fulgura corruscationem de ſublimi, penetrantem omnia cordis mei intima. Purifica, lætifica, clarifica, & vivifica ſpiritum meum, ad inhærendum tibi, jubiloſis exceſsibus mentis meæ! Adhuc vivit in me vetus homo, adhuc caro fortiter adversus ſpiritum concupiscit, bella movet inteſtina. Sed tu qui Dominaris mari, & poteſtatibus ejus imperas, qui motum fluctuum ejus mitigas, exurge adjuva me. Diſsipa gentes quæ bella volunt, contere eas in virtute tua. Oſtende quæso magnalia tua, & glori-

fi-

ficetur dextera tua, quia non eſt ſpes alia, nec refugium mihi, niſi in te Deus meus!

## DEVOTIO

### PRO MENSTRUA DIE SUÆ VOCATIONIS.

*Petere a Deo veniam, ac remiſsionem omnium peccatorum, ac defectuum per decurſum totius menſis commiſsorum.*

### PSALMUS.

Domine ne in furore tuo arguas me, &c. *ut ſupra, folio 34.*

### ORATIO

Deus, cui proprium eſt miſereri; ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, ut nos famulos tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat.

Exaudi, quæſumus, Domine ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis in-

indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Ineffabilem nobis Domine misericordiam tuam clementer ostende, ut simul nos & a peccatis omnibus exuas, & a pænis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis & pœnitentia placaris, preces nostras propitius respice; & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur averte. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.

## ORATIO

*Peccata & miserias suas deplorantis.*

Memento Domine, quia nihil sum, nihil habeo, nihilque valeo! Tu solus bonus, justus, & sanctus, tu omnia potes, omnia præstas, omnia imples, solum peccatorem relinquens inanem. Reminiscere miserationum tuarum Domine, & imple cor me-

um

um gratia tua, qui non vis eſſe vacua opera tua. Quomodo poſsum me tolerare in hac misera vita, niſi me confortaverit gratia tua. Noli avertere faciem tuam a me, noli viſitationem tuam prolongare, noli consolationem tuam ſubtrahere, ne fiat anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi. Doce me facere voluntatem tuam, doce me coram te digne & laudabiliter conversari. quia ſapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognoviſti antequam mundus fieret. Viſita me gratia tua, conforta & consolare, ac ſanctis tuis inſtrue disciplinis. Libera me a paſsionibus malis, & ſana cor meum ab omnibus inordinatis affectibus, ut intus ſanatus, & bene purgatus, aptus efficiar ad amandum, fortis ad paciendum, ſtabilis ad perseverandum, Amen.

# ORATIO

*Proprias infirmates confitentis.*

Confitebor adversum me Domine in justitiam meam, confitebor tibi infirmitatem meam. Vide Domine humilitatem meam, & fragilitatem tibi undique notam. Miserere mei & eripe me de luto, ut non infigar, neque permaneam dejectus usquequaque. Utinam fortisſime Deus Israel, zelator animarum fidelium, respicias servi tui laborem & dolorem, asſistasque mihi in omnibus ad quæcunque perrexero. Robora me cælesti fortitudine, ne vetus homo, misera caro, spiritui necdum plene subjecta, prævaleat dominari, adversus quam certare oportebit quam diu spiratur in hac mortali vita. Aperi Domine cor meum in lege tua, & in præceptis tuis doce me ambulare. Qui vivis &c.

*Gra-*

*Gratias Deo agere pro acceptis beneficiis.*

PSALMUS.

Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus.

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Qui replet in bonis deſiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua.

Faciens misericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam patientibus.

Notas fecit vias ſuas Moyſi, filiis Israel voluntates ſuas.

Miserator & misericors Dominus, lon-

longanimis & multum misericors.
Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.
Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.
Quoniam ſecundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam ſuam ſuper timentes ſe.
Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates noſtras.
Quomodo miseretur Pater Filiorum, misertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipse cognovit ſigmentum noſtrum.
Recordatus eſt, quoniam pulvis ſumus, homo ſicut ſœnum dies ejus, tanquam flos agri ſic efflorebit.
Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoscet amplius locum ſuum.

Mi-

Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum ſuper timentes ſe.

Et juſtitia illius in filios filiorum, his qui ſervant teſtamentum ejus.

Et memores ſunt mandatorum ipſius, ad faciendum ea.

Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam, & regnum ipſius omnibus dominabitur.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem ſermonum ejus.

Benedicite Domino omnes virtutes ejus, miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri & Filio, &c.

Sicut erat in principio, &c.

ORE-

Oremus.

Deus cujus misericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus; piiſsimæ Majeſtati tuæ pro collatis donis gratias agimus tuam ſemper clementiam exorantes, ut qui petentibus poſtulata concedis, eosdem non deſerens ad præmia futura diſponas.

ORATIO

*Laudantis Deum pro acceptis beneficiis.*

Sit nomen tuum Domine benedictum in ſæcula, pro omnibus beneficiis tuis, quæ mihi indigniſsimo conferre dignatus es, utinam vel ſemel digne valeam pro iis tibi gratias agere! Quid retribuam tibi Domine pro omnibus, quæ ex infinita liberalitate tua mihi tribuiſti? Te decet laus & honor Domine, benedictio & claritas, & gratiarum actio, in ſæcula ſæculorum. Nunquam ceſ-

set

set laus tua Domine ex ore meo, & abundantia beneficiorum tuorum non recedat de corde meo. Gratias tibi referat Domine, quidquid cœli ambitus, terrarumque circuitus & abyssi comprehendit profundum, pro universis miserationibus tuis, quæ mihi exhibuisti; me totum & omnia mea tibi offero, & sacrifico ad laudem & gloriam sanctissimi nominis tui, Amen.

## ORATIO

*Resignantis se in omne beneplacitum Dei.*

Domine tu scis qualiter melius est, fiat sicut volueris. Da quod vis, fac mecum sicut vis, & sicut major honor tuus fuerit. Pone me ubi vis & libere age mecum in omnibus, sicut tibi magis placuerit. In manu tua sum, gyra, & reversa me per circuitum, en servus tuus ego sum paratus ad omnia, quoniam non de-

side-

ſidero mihi vivere, ſed tibi, utinam digne & laudabiliter! Concede mihi benigniſsime Jesu, gratiam tuam ut mecum ſit, & mecum laboret, mecumque usque in finem perſeveret. Da mihi hoc ſemper deſiderare, & velle, quod tibi magis acceptum eſt, & charius placet. Tua voluntas mea ſit, & mea voluntas tuam ſemper ſequatur & optime ei concordet. Sit mihi unum velle & nolle tecum, nec allıud poſſe velle aut nolle, niſi quod tu vis, & nolis. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo ſunt, & propter te amare contemni, & nesciri in hoc ſæculo. Da mihi ſuper omnia deſiderata in te requiescere, & cor meum in te paciſicare. Tu vera pax cordis mei, tu ſola requies: extra te dura ſunt omnia, & inquieta, in hac pace, in idipsum hoc eſt in te uno ſummo æterno bono,
dor-

dormiam & requiescam. Libenter patiar pro te Domine, quidquid volueris venire ſuper me; Si me vis eſſe in tenebris, ſis benedictus, & ſi me vis eſse in luce, ſis iterum benedictus. Si me dignaris consolari, ſis benedictus, & ſi me vis tribulari, ſis æque benedictus. Cuſtodi me ab omni peccato, non timebo mortem, nec infernum, dummodo me in æternum non proiicias, nec deleas de Libro vitæ, non mihi nocebit, quidquid venerit ſuper me tribulationis, Amen.

*Poſtulare a Deo gratias in futurum neceſsarias.*

## PSALMUS.

Usquequo Domine obliviſceris me in finem, usquequo avertis faciem tuam a me?

Quamdiu ponam conſilia in anima

mea, dolorem in corde meo per diem?

Usquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me Domine Deus meus.

Jllumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: prævalui adverſus eum.

Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero, ego autem in miſericordia tua ſperavi.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſsimi.

Gloria Patri & Filio &c.

Sicut erat in principio &c.

Oremus.

Deus, a quo ſancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera, da ſervis tuis illam, quam mundus dare

non

non poteſt, pacem, ut & corda noſtra, mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquilla.

Actiones noſtras, quæsumus, Domine aspirando præveni, & adjuvando prosequere, ut cuncta noſtra oratio, & operatio a te ſemper incipiat & per te cœpta finiatur.

Omnipotens ſempiterne Deus, miserere mihi famulo tuo, & dirige me ſecundum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiam, & tota virtute perficiam.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodeſse, da cordibus noſtris inviolabilem tuæ charitatis affectum, ut deſideria de tua inspiratione concepta, nulla poſsint tentatione mutari. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

*Ad Sanctum Spiritum.*

Veni Sancte Spiritus, Et emitte cœlitus, Lucis tuæ radium!

Veni Pater pauperum, Veni dator munerum, Veni lumen cordium.

Consolator optime, Dulcis hospes animæ, Dulce refrigerium.

In labore requies, In æſtu temperies, In fletu ſolatium.

O lux beatiſsima, Reple cordis intima, Tuorum Fidelium.

Sine tuo numine, Nihil eſt in homine, Nihil eſt innoxium.

Lava, quod eſt ſordidum, Riga, quod eſt aridum, Sana, quod eſt ſaucium;

Flecte, quod eſt rigidum, Fove, quod eſt frigidum, Rege, quod eſt devium.

Da tuis fidelibus, In te confidentibus, Sacrum ſeptenarium.

Da virtutis meritum, Da ſalutis exitum, Da perenne gaudium, A.

ORÆ

OREMUS.

Deus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & quem nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem Sancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut te perfecte diligere & digne laudare mereamur.

Adſit nobis, quæsumus, Domine virtus Spiritus Sancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

Mentes noſtras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

Largire nobis, quæsumus, Domine ſpiritum cogitandi, quæ recta ſunt, propitius & agendi, ut, qui ſine te eſse non poſſumus, ſecundum te vivere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

# ORATIO

*Pro impetrando Spiritu vocationis.*

Obsecro te piisſime Deus meus, præserva me a curis hujus vitæ, ne nimis implicer a multis neceſsitatibus corporis, ne voluptate capiar ab univerſis animæ obſtaculis, ne moleſtiis fractus deiiciar. O Deus meus dulcedo ineffabilis, verte mihi in amaritudinem omnem carnalem consolationem, ab æternorum amore me retrahentem, & ad ſe male allicientem; Non me vincat caro, & ſanguis, non me decipiat mundus & brevis gloria ipſius, non me ſupplantet Diabolus, & aſtutia ejus. Da mihi fortitudinem reſiſtendi, patientiam tolerandi, conſtantiam perſeverandi; Da pro omnibus mundi consolationibus, ſuaviſsimam Spiritus tui unctionem, & pro carnali amore, tui nominis infunde dilectionem,

con-

confirma me Deus per gratiam Sancti Spiritus, da virtutem corroborari in interiori homine, & cor meum ab omni inutili solicitudine, & angore evacuare, nec variis desideriis trahi cujuscunque rei. Da mihi Domine cœlestem sapientiam, ut discam te super omnia quærere, & invenire, super omnia sapere, & diligere, da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre adversantem. Da mihi, quæso, misericordissime Deus, diabolica vitare contagia, & te solum pura mente sectari, Amen.

Oremus.

Concede mihi, quæso, omnipotens & misericors Deus, quæ tibi sunt placita, diligenter & ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere, & perfecte adimplere, quod a me requiris, ut faciam, tribue, ut sciam, possim & velim,

lim, & da exequi, ut oportet & expedit ſaluti animæ meæ; Fac me humilem ſine fictione, hilarem ſine diſsolutione, maturum cum gravitate, veracem cum ſimplicitate, modeſtum ſine levitate, caſtum ſine corruptione, discretum ſine fictione, devotum ſine ſimulatione, obedientem ſine contradictione, patientem ſine murmuratione. Largire mihi dulciſsime Jesu intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam ſtabilem, amorem tui immutabilem, ut prægustata dulcedine, tuæ dilectionis, omnia terrena despicere, & tibi ſummo bono, ardenti deſiderio jugiter valeam adhærere, Amen.

DE-

# DEVOTIO AD B. V. MARIAM.

*Monitum Sancti Bernardi ad Devotionem erga B. V. Mariam excitans & inflammans.*

Maria est præclara, & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis, in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas & tempestates fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgure hujus sideris, si non vis obrui procella. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, Mariam inquam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias obsorberi

ri triftitiæ, desperationisque abyffo, cogita Mariam! In periculis, in anguftiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, & ut impetres ejus orationis fuffragium, non deseras conversationis exemplum. Ipsam fequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa duce non fatigaris, ipsa duce pervenis ad finem optatum æternæ facilitatis.

## HYMNUS.

Ave maris ftella, Dei Mater alma,
Atque femper Virgo, Felix cœli porta.

Sumens illud Ave, Gabrielis ore,
Funda nos in pace, Mutans Hevæ nomen.

Solve vincla rei, Profer lumen cœcis,

cis, Mala noſtra pelle, Bona cuncta poſce.

Monſtra te eſſe Matrem, Sumat per te preces, Qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus.

Virgo ſingularis, Inter omnes mitis, Nos culpis ſolutos, Mites fac & caſtos.

Vitam præſta puram, Iter para tutum, Ut videntes Jesum, Semper collætemur.

Sit laus Deo Patri, Summo Chriſto Decus, Spiritui Sancto, Tribus honor unus, Amen.

℣. Dignare me, laudare te, Virgo ſacrata;

℞. Da mihi virtutem, contra hoſtes tuos.

ORREMUS.

O Domina mea Sancta Maria, me in tuam Benedictam fidem, ac ſingularem cuſtodiam, & in ſinum miſe.

sericordiæ tuæ, animam meam & corpus meum tibi commendo; omnem ſpem meam, & fiduciam meam, omnes anguſtias & miserias meas, vitam & finem vitæ meæ, tibi committo; ut per tuam ſanctiſsimam interceſsionem, & per tua merita, omnia mea dirigantur & disponantur opera, ſecundum tuam tuique Filii voluntatem.

Admitte preces noſtras in ſacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus, accipe, quod offerimus, redona, quod rogamus, excusa, quod timemus, quia tu es ſpes unica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſsima, eſt noſtrorum expectatio præmiorum. Accipe igitur quascunque exiles preces,

ces, poſtulationesque noſtras, & cum ſusceperis vota, culpas noſtras orando excusa, Amen.

## BREVE OFFICIUM AD B. V. MARIAM.

### HYMNUS.

Quem terra, pontus, ſidera,
  Colunt, adorant, prædicant,
  Trinam regentem machinam,
  Clauſtrum Mariæ bajulat.
Cui luna, ſol, & omnia,
  Deserviunt per tempora,
  Perfusa cœli gratia,
  Geſtant puellæ viscera.
Beata Mater munere,
  Cujus ſupernus Artifex,
  Mundum pugillo continens,
  Ventris ſub arca clausus eſt.
Beata cœli nuntio,
  Fœcunda Sancto Spiritu,
  Deſideratus gentibus,

Cu-

Cujus per alvum fusus eſt.
Jesu tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In Sempiterna ſæcula, Amen.

ANTYPHONA.

Sancta Maria ſuccurre miseris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo ſexu, ſentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam ſanctam commemorationem.

℣. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,

℟. Ut digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.

OREMUS.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & gloriosa Beatæ Mariæ ſemper Virgi-

nis

nis intercessione, a presenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum, A.

HYMNUS.

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactante nutris ubere.
Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.
Tu regis alti janua,
Et aula lucis fulgida;
Vitam datam per Virginem,
Gentes redemptæ plaudite.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula, Amen.

ANTYPHONA.

Sub tuum præsidium confugimus San-

Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa & benedicta. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta. Fac o benedicta, per gratiam, quam invenisti, per prærogativam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti; ut, qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis & miseriæ nostræ, te quoque intercedente, nos participes faciat gloriæ, & beatitudinis suæ.

℣. Benedicta tu in mulieribus,

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Oremus.

Concede misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut, qui Sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus,

mus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

## HYMNUS.

Memento, rerum conditor
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab Alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria Mater gratiæ,
Dulcis Parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.
Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula, Amen.

## ANTYPHONA.

Ave Regina cœlorum, Ave Domina Angelorum: salve radix, salve porta, ex qua mundo lux est orta. Gaude Virgo gloriosa; super o-

mnes

mnes ſpecioſa: vale o valde decora, & pro nobis Chriſtum exora.

℣. Elegit eam Deus & præelegit eam,

℟. In tabernaculo ſuo habitare fecit eam.

Oremus.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut fideles tui, qui ſub Sanctiſsimæ Virginis Mariæ protectione lætantur, ejus pia interceſsione, a cunctis malis liberentur in terris, & ad gaudia æterna pervenire mereantur in cœlis. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Obsecro te Domina mea, Sancta Maria Dei Genitrix Virgo, ut in adjutorium meum feſtines, ſis mihi conſilium, & auxilium, in omnibus actionibus, petitionibus, anguſtiis & neceſsitatibus meis Impetra mihi famulo tuo, virtutum omnium com-

plementum, abundantiamque omnium bonorum tam ſpiritualium, quam corporalium, gratiam denique Spiritus Sancti mihi expoſtula, quæ me bene per omnia disponat, animam meam cuſtodiat, corpus meum regat & protegat, mentem erigat, mores componat, actus probet, cogitationes ſanctas inſtituat, præterita mala indulgeat, præsentia emendet & futura moderetur, vitam honeſtam & caſtam tribuat, ac in finem usque ab omni malo cuſtodiat, Amen.

*Poſtulatio ad B. V. Mariam.*

O mundi reparatrix, & mærentis animæ consolatrix, Beatiſsima Virgo Maria! Quod requiro, quod ſuſpiro, mea ſana vulnera, & da menti te poscenti gratiarum munera; ut ſim caſtus, & modeſtus, dulcis, blandus, ſobrius, pius, rectus, circumspectus, ſimultatis nescius; eruditus

&

& munitus Divinis eloquiis; timoratus & ornatus, ſacris exercitiis; conſtans, gravis, benignus, amabilis, ſimplex, purus, & maturus, patiens & humilis. Eſto tutrix & adjutrix animæ meæ; quidquid gravat & depravat, ab illa remove, commendare me dignare Chriſto tuo Filio, ut non cadam, ſed evadam, de mundi naufragio, fac me mitem, in virtutibus divitem, & compesce lasciviam; contra crimen da munimen & mentis conſtantiam; Non me liget, nec fatiget ſæculi cupiditas, quæ indurat & obscurat mentes ſibi ſubditas; Ora Deum, ut cor meum ſua ſervet gratia, ne antiquus, inimicus ſeminet zizania, da juvamen, & levamen tuis ſanctis precibus, Amen.

# DEVOTIO AD S. JOSEPHUM B. V. MARIÆ SPONSUM.

## *Commendatio ad S. Josephum.*

O Sancte Joseph, Redemptoris mei Christi Jesu fidelis œconome, ac nutritor, castissimeque Virginis Deiparæ Sponse! Ego te in Patronum, & singularem advocatum meum eligo, animam meam & corpus meum, tuæ tutelæ ac sanctissimæ custodiæ comitto, & commendo, suppliciterque a te rogo, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in tentationibus roborare, in periculis adjuvare, in hora denique mortis meæ defendere, ac protegere digneris, A.

## LITANIÆ
### *Ad S. Josephum.*

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson.

Chri-

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.

Sancta Maria Sponsa Joseph,
S. Joseph ſponse Mariæ Virginis,
Tutor & nutritie Jesu,
Vir ſecundum cor Dei,
Fidelis ſervus & prudens,
Cuſtos Virginitatis Mariæ,
Comes & ſolatium Mariæ,

Ora pro nobis.

In Virginitate mundiſsime,
In humilitate profundiſsime,
In charitate ardentiſsime,
In contemplatione altiſsime,
Qui vir juſtus, Spiritus Sancti teſtimonio comprobatus es,
Qui in Divinis myſteriis præ omnibus illuminatus fuiſti,

Ora pro nobis.

Qui

S. J. Qui de ſacro incarnati Verbi
 myſterio cœlitus edoctus es,
Qui cum Maria desponsata tibi
 Conjuge in Bethleem profectus
 es,
Qui non inveniens locum in diver-
 sorio, ad ſtabulum divertiſti,

Ora pro nobis.

Qui Chriſto nascenti, poſitoque in
 præsepio adfuiſti,
Qui puerum Jesum in templo, cum
 Maria Matre ejus Domino præ-
 sentaſti,
Qui Angeli monitu accepto cum
 puero, & Matre ejus in Ægi-
 ptum fugiſti,

Ora pro nobis.

Qui defuncto Herode, cum puero
 & Matre ejus, in terram Isra-
 el rediiſti,
Qui amiſſum in Jerusalem filium,
 triduo cum Maria Matre ejus
 dolens quæſiviſti,

Ora pro nobis.

Qui poſt triduum, ſedentem il-
 lum

lum inter Doctores gaudens invenisti,
S. J. Qui Dominum Dominantium in terris, subditum habuisti,
Cujus laus est in Evangelio,
Vir Mariæ, de qua natus est Jesus,
Ora pro nobis.
Advocate noster, Audi nos.
Patrone noster, Exaudi nos.
Protector noster, Intercede pro nobis.
In omnibus necessitatibus nostris,
In omnibus angustiis nostris,
In omnibus tentationibus & periculis,
In hora mortis nostræ,
Per castissimam Desponsationem tuam,
Per paternam curam & fidem tuam,
Per labores & sudores tuos,
Per omnes virtutes tuas,
Per summum honorem & sempiternam beatitudinem tuam,
Te rogamus adjuva nos.

Per

Per fidelem interceſſionem tuam, Te rogamus, adjuva nos.

Clientes tui, Te rogamus, adjuva nos.

Ut a Jesu peccatorum noſtrorum veniam impetrare digneris,

Ut Jesu & Mariæ fideliter nos commendare digneris,

Ut ſtatui noſtro convenientem caſtitatem, nobis impetrare digneris,

Ut in hac Congregatione degentibus, perfectum amorem & concordiam obtinere digneris,

Te rogamus, audi nos.

Ut omnes de tuo patrocinio confidentes protegere digneris,

Ut omnibus tibi devotis paterno auxilio ſubvenire digneris,

Ut cum Jesu & Maria, in extremo vitæ articulo nos inviſere & præſto eſſe digneris,

O caſte Mariæ Sponse, & Fidelis Jesu nutritie,

Te rogamus, audi nos.

G Agnus

Agnus Dei, qui tollis peccata &c.
Kyrie eleyson, Chryste eleyson, Kyrie eleyson.

ORHMUS.

Deus, qui Sanctum Josephum in Sponsum Mariæ semper Virginis, & in Tutorem dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi nutritiumque elegisti: Te supplices exoramus, animæ & corporis puritatem ejus nobis patrocinio concede; ut ab omni carnali macula puri, & veste nuptiali ornati, ad cœli nuptias admittamur.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine meritis adjuvemur: ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

HYMNUS.

Cœlitum Joseph decus, atque nostræ

Certa ſpes vitæ, columenque mundi,
Quas tibi læti canimus, benignus
Suscipe laudes.
Te ſator rerum ſtatuit pudicæ
Virginis Sponsum, voluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit & miniſtrum
Eſſe ſalutis.
Tu Redemptorem ſtabulo jacentem,
Quem chorus votum cecinit futurum,
Aspicis gaudens, humilisque natum
Numen adoras.
Rex Deus Regum, Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulalur æther,
Se tibi ſubdit.
Laus ſit excelsæ Triadi perennis,
Quæ tibi præbens ſuperos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaugia vitæ, Amen.

OREMUS.

Adeſto nobis, quæsumus, misericors Deus, & intercedente pro nobis

beato Joseph Confeſſore tuo, tuæ circa nos propitiationis dona cuſtodi, & præſta, ut, quem protectorem veneramur in terris; interceſſorem habere mereamur in cœlis. Nobis ſumma Trias parce precantibus, da Joseph meritis ſidera ſcandere, ut tandem liceat, nos tibi perpetim, gratum promere canticum, Amen.

Adjutor & Protector noſter, o Beatiſsime Joseph, fac nos innocuam decurrere vitam, ſitque tuo ſemper tuta patrocinio! O felicem & beatum cuſtodiri cui datum, tuo ſub-præſidio, ut qui meruit habere te Patronum, & gaudere tuo patrocinio! o Jesu per preces Mariæ tuæ Matris, & Josephi tui Patris nos adjuva, ut poſsimus te videre, æternèque poſſidere in cœleſti Patria, Amen.

O Beatiſsime Joseph, qui tanquam Pater & manuductor, Chriſtum Jesum in

in pueritia & juventute per omnes peregrinationis humanæ vias, fidelissime deduxisti; mihi etiam obsecro in vitæ meæ peregrinatione, tanquam comes, & ductor assiste.

Dirige me in viam salutis æternæ, nec unquam permittas me a semita mandatorum Dei declinare, sis in adversis præsidium, in ærumnis solatium, donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum, & Sanctissima Sponsa tua Maria, omnibusque Sanctis in æternum in Deo Jesu meo exultem.

O Sancte Joseph, cui Jesus hic in terris sese subjecit, promptèque obedivit, quemque singulari semper honore & amore prosecutus est, ora pro me.

O S. Joseph, gratiamque mihi impetra! Imprimis, ut peccata omnia serio detester, & fugiam, vitam in

melius emendem, costanterque me virtutum studio impendam, ab omnibus tentationibus, & cunctis peccandi occasionibus, quibus anima mea in periculum damnationis induci possit, liberer, in bonis operibus & in hoc statu usque in finem vitæ meæ perseverem, constanterque permaneam.

O S. Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui, & dulcissimæ Sponsæ tuæ Mariæ complexu ex hac vita emigrasti: succurre mihi, o Sancte Pater cum Jesu & Maria tunc potissimum, quando mors, vitæ meæ finem imponet, illudque, quod unicè peto, solatium mihi impetra; ut in iisdem Sanctissimis Jesu & Mariæ brachiis expirem! In manus vestras vivens & moriens commendo Spiritum meum. Jesus, Maria, Joseph, miseremini mei! Amen.

DE-

## DEVOTIO AD S. VINCENTIUM A PAULO.

### ORATIO.

Per merita Sancti Vincentii Patris nostri, visita Domine congregationem istam, omnes insidias inimici, cunctasque nequitias ab illa procul repelle, opera pietatis in ea multiplica, gratia tua nos in pace custodi, & benedictio tua sit super nos semper.

Dirige ad te tuorum corda servorum, ut spiritus tui fervore concepto, in sua vocatione inveniantur stabiles & in opere efficaces: Da nobis, quæsumus, misericordissime Deus, perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris & merito & numero, populus tibi serviens augeatur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

OREMUS.

Excita, quæsumus, Domine, in Congregatione tua, & in cordibus noſtris Spiritum, cui Beatus Vincentius ſervivit, ut eodem nos quoque repleti ſtudeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit.

In tua miseratione confiſi ſuppliciter te deprecamur Domine, ut ad evangelizantem pauperibus Filium tuum imitandum, Beati Vincentii Patris noſtri, ſicut exemplis provocamur, ita & patrociniis adjuvemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

## LITANIÆ.

Kyrie eleyson, Chriſte eleyson, Kyrie eleyson.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Miser:

Spi-

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
Sancta Maria,
S. Vincenti a Paulo,
S. Vincenti ſenex a pueritia,
S. Vincenti ab infantia misericors,
S. Vincenti in captivitate liber,
S. Vincenti juſte ex ſide vivens, Ora pro nobis.
S. Vincenti Chriſtianæ ſpei anchora firma & tutiſsima,
S. Vincenti in laboribus a juventute tua,
S. Vincenti charitatis igne ſuccense, Ora pro nobis.
S. Vincenti vir ſimplex, recte, & timens Deum,
S. Vincenti mitis & humilis corde,
S. Vincenti ſidelis Chriſti discipule,
S. Vincenti carne & ſpiritu mortiſicate, Ora pro nobis.

S. Vincenti Spiritu Chriſti vivens,
S. Vincenti perpetue mundi contemptor & osor,
S. Vincenti gloriæ Dei vere zelotes,
S. Vincenti venator animarum ſtrenue,
S. Vincenti Chriſtiana paupertate dives,

Ora pro nobis.

S. Vincenti Angelicæ caſtitatis æmule,
S. Vincenti vir obediens, & loquens victorias,
S. Vincenti ab omni ſpecie mala abſtinens,

Ora pro nobis.

S. Vincenti perfectæ virtutis ſtudioſiſsime,
S. Vincenti tamquam rupes in ſæculi fluctibus immote,
S. Vincenti in adverſis omnibus patientiſsime,

Ora pro nobis.

S. Vincenti longanimis, & multum misericors,

S. Vincenti Ecclesiæ Romanæ fili fidelissime,
S. Vincenti Cathedræ Petri usque ad mortem addictissime,
S. Vincenti evangelizandis pauperibus destinate,
S. Vincenti a profanis vocum novitatibus alienissime,
Ora pro nobis.
S. Vincenti Ecclesiasticorum Pater piissime,
S. Vincenti Congregationis Missionis Fundator sapientissime,
S. Vincenti Puellarum charitatis institutor vigilantissime,
Ora pro nobis.
S. Vincenti in quosvis pauperes liberalius effuse,
S. Vincenti orationi, & ministerio verbi Divini instantissime,
S. Vincenti Christi vitæ & virtutum imitator assidue,
Ora pro nobis.
S. Vincenti qui in finem usque fuisti fidelis,

S. Vincenti, cujus pretiosa mors in conspectu Domini, Ora pro nobis.
S. Vincenti nunc veritate, charitate & æternitate felix, Ora pro n:
Ut fideles Filii Patris vestigia sequamur, Te rogamus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata &c.

OREMUS.

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus & derelictorum, infirmorumque miserias sublevandas, & Ecclesiastici ordinis decorem promovendum, Filii tui Spiritum in Apostolica Beati Vincentii charitate & humilitate suscitasti; ejus nobis intercessione concede, ut a peccatorum miseriis sublevati, eadem tibi semper charitate, & humilitate placeamus.

Deus, qui ad animarum salutem, Beatum Vincentium Confessorem tuum, omnibus omnia factum esse volu-

luiſti: concede propitius, ut charitatis tuæ dulcedine perfuſi ejus dirigentibus monitis, ac ſuffragantibus meritis, æterna gaudia conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, A.

## OFFICIUM PARVUM

In Honorem et majorem cultum S. Patris VINCETII Fundatoris C. Missionis.

Adjutorium noſtrum in nomine Domini, Qui fecit cœlum & terram.
Domine labia mea aperies,
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Deus in adjutorium meum intende,
Domine ad adjuvandum me feſtina.
Gloria Patri & Filio & Spiritui S.
Sicut erat in principio &c.

### HYMNUS.

Virum miſericordiæ templa ſonent Vincentium,
Nobis è ſinu gloriæ certum adeſt præſidium, Fru-

Fruſtra naturam, legibus ævi ſub flore ſtatuit
Suis cum fulgoribus amica virtus induit.
Tot pietatis opera
Fac Chriſte ſemper vigeant,
Quibus hæc credis munera
Ardore pari compleant.
Vincentii da precibus,
Nos hic ſervet humilitas,
Piis functos laboribus
Cœlo coronat charitas.

ANTYPHONA.

Miseratio hominis circa proximum ſuum, miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem; qui miſericordiam habet docet, & erudit, ſicut paſtor gregem ſuum.

℣. Juſtus tota die miſeretur & commodat,

℟. Et ſemen ejus non eſt quærens panem.

ORE.

OREMUS.

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus & ad derelictorum, infirmorumque miserias ſublevandas, & Eccleſiaſtici ordinis decorem promovendum, Filii tui Spiritum in Apoſtolica Sancti Vincentii a Paulo charitate & humilitate ſuscitaſti: ejus nobis intercefsione concede, ut a peccatorum miseriis ſublevati, eadem tibi charitate & humilitate placeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣ Benedicamus Domino,
℟. Deo gratias.
℣. Et ſidelium animæ per misericordiam Dei &c. ℟ Amen.

Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri & Filio &c.

HY-

HYMNUS.

Blanda juncta Modestiæ,
Pectus ornavit castitas,
Alma comes prudentiæ,
Mentem finxit Simplicitas.
Puris ductam de fontibus,
Doctrinam hausit docilis,
Sacris aptas muneribus,
Dotes possedit humilis.
Tot pietatis opera &c. *ut supra.*

ANTYPHONA.

Humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.

℣. Suscitans a terra inopem,

℟. Et de stercore erigens pauperem.

OREMUS.

Deus humilium Celsitudo, qui Beatum Vincentium Confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti; tribue, quæsumus, ut ejus

men-

meritis & intercesſione promiſſa humilibus præmia feliciter consequamur. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino, ℟. Deo gr:
℣. Et Fideliuum animæ &c.

Deus in ad jutorium &c.
Gloria Patri & Filio &c.

HYMNUS.

Sed graves heu! gens impia,
Juſto catenas iniicit,
Quem Chriſti ſolvit gratia,
Et quosdam Chriſto ſubiicit.
O! Vox quæ ſeges operum,
O! Zelus moram nescius,
Paterna cura Pauperum,
Prodis Dei Vicarium.

Tot

Tot pietatis opera &c. *ut ſupra.*

ANTYPHONA.

Tulit me Dominus, cum ſequerer gregem, & dixit Dominus ad me, vade & propheta ad populum meum Israel.

℣. Poſui verba mea in ore tuo,

℟. Ut plantes cœlos & fundes terram.

OREMUS.

Excita, quæsumus, in Congregatine noſtra, & in cordibus noſtris ſpiritum, cui S. Vincentius a Paulo ſervivit, ut nos eodem repleti ſtudeamus amare, quod amavit, & opere exercere, quod docuit. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino, ℟. Deo gr:

℣. Et Fidelium animæ &c.

Deus in adjutorium &c.

Gloria Patri & Filio &c.

HY-

## HYMNUS.

Pii laboris æmulas
  Proles, ſub alas congregas
Hac voce, factis, moribus,
  Dux & Magiſter edoces:
Tutrix ſit Congregatio
  Miſsionis Sacerdotum,
Pauperum evectio,
  Pia gaza egentium.
Tot pietatis opera &c. *ut ſupra.*

ANTYPHONA.

Operatus eſt bonum, & rectum, & verum coram Domino Deo ſuo, in univerſa cultura miniſterii Domus Domini, juxta legem & cæremonias volens requirere Dominum Deum ſuum in toto corde ſuo.

℣. Omnia omnibus factus ſum,

℟. Ut omnes facerem ſalvos.

OREMUS.

Deus, qui ad Eccleſiæ decorem & animarum ſalutem, Beatum Vin-

cen-

centium Confessorem tuum omnia omnibus factum esse voluisti; concede nos propitius charitatis tuæ dulcedine perfrui, ut ejus dirigentibus monitis ac suffragantibus meritis æterna gaudia consequamur. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino, ℟. Deo gr:
℣. Et Fidelium animæ &c.

Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

Puellarum erectio,
Charitatis officium,
Clericorum instructio,
Pietatis hospitium.
Occurre nunc Vincentio,
Qui forte langues misera,
Quot nostra fert conditio,
Tot amans curat vulnera.

Tot

Tot pietatis opera &c. *ut ſupra.*

ANTYPHONA.

Auris audiens beatificat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor.

℣. Potens in terra erit ſemen ejus,

℟. Generatio rectorum benedicetur.

OREMUS.

Deus, qui Beatum Vincentium Confeſſorem tuum Evangelicæ prædidicationis gratia ſublimaſti, tribue, quæsumus, ejus nos ſemper & eruditione proficere & oratione defendi. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino, ℟. Deo gr:
℣. Et Fidelium animæ &c.

Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri & Filio, &c.

HYMNUS.

Quos Mater natos deserit,
Iners quos gravat ſenium,
Quos remis pæna aſſerit,
Cunct s parat hospitium.
Solamen eſt mærentibus,
Præsens medella ſauciis,
Pænus eſt indigentibus,
Lumen prætendit deviis.
Tot pietatis opera &c. *ut ſupra.*

ANTYPHONA.

D ſperſit, dedit pauperibus, & juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

℣. Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus,
℟. Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multa.

ORE-

OREMUS.

Excita, quæsumus, Domine in nobis ſpiritum charitatis, quo Sanctum Vincentium Confeſſorem tuum replere dignatus es, & concede, ut, cujus pia merita veneramur, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum.

℣ Domine exaudi &c. ℟. Et clamor:
℣ Benedicamus Domino, ℟ Deo gr:
℣. Et Fidelium animæ &c.

Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri & Filio &c.

HYMNUS.

Juſtus movente Numine,
Egenis Chriſtum prædicat.
Jacto ſalutis ſemine,
Quam ampla meſsis emicat!
Vos rura teſtes dicite,
Quod prædas orco raperet,
Ut linguas potens divites,
Chriſto rebelles ſubderet.

Tot

Tot pietatis opera &c. *ut supra.*

ANTYPHONA.

Evangelii factus sum Minister, secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi, secundum operationem virtutis ejus, mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc.

℣. Dominus dabit voci tuæ vocem virtutis.

℟. Date gloriam Deo super Israel.

OREMUS.

Deus, qui ad Evangelizandum Pauperibus & Ecclesiastici ordinis decorem promovendum, Beatum Vincentium Apostolica virtute roborasti; præsta, quæsumus, ut, cujus pia merita veneramur, virtutum quoque instituamur exemplis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

℣ Domine exaudi &c. ℟. Et clamor:

℣ Benedicamus Domino, ℟. Deo gr:

℣. Et Fidelium animæ &c.

Con-

Converte nos Deus salutaris noster,
Et averte iram tuam a nobis.
Deus in adjutorium &c.
Gloria Patri & Filio &c.

HYMNUS.

Regis adstans consilio
Munus quam Sancte perficit,
Procul abest ambitio,
Prodesse regno sufficit.
Per Regna, per Provincias,
Italiam, Poloniam,
Nomen Christi prædicando,
Facit misericordiam.
Tot pietatis opera &c. *ut supra.*

ANTYPHONA.

In medio Magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit, in terram alienarum Gentium pertransiet; bona enim & mala in hominibus tentabit.

℣. Sapientia & humilitate exaltavit caput ejus.

℟. Et in medio magnatorum conse-
dere eum faciet.

ORREMUS.

Deus, qui ad ſalutem pauperum & Cleri disciplinam novam in Eccleſia tua per Beatum Vincentium Familiam congregaſti: da, quæsumus ut eodem nos quoque ſpiritu ferventes & amemus, quod amavit, & opere exercere, quod docuit. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, A

℣. Domine exaudi &c. ℟. Et clamor:
℣. Benedicamus Domino, ℟. Deo gr:
℣. Et Fidelium animæ &c.

COMMENDATIO.

Submiſſus peto intime,
O Pater Beatiſsime,
Suscipe laudis homagium,
Sis mihi nunc ſolatium.

Ad-

Adſisque ad meum obitum,
Impetra fauſtum exitum,
In hora mortis fer opem,
Et ne relinquas inopem.
Fuga ſalutis æmulos,
Reprime fluctus incredulos,
Deposce mihi gratiam,
In agone fiduciam,
Ut poſt animæ exitum,
Tutum habeam tranſitum, Amen.

## ORATIO EFFICAX

*Pro impetrandis virtutibus ſuæ vocationis.*

Beatiſsime Pater Vincenti, qui in terris poſitus, gratia Dei præventus, & ſpiritu Chriſti plenus, veſtigiaque ejus fideliter ſequens, ſuavem ubique virtutum ipſius odorem ſpargebas, nunc jam in cœlis ineffabili vultus Divini perfruens claritate, impetra mihi tua ſancta interceſsione, ut omnibus diebus vitæ meæ, digne

vocatione mea ambulem, in fide vera, ſpe firma, charitate perfecta, humilitate profunda, patientia hilari, ſimplicitate ſancta, mansuetudine non ficta, obedientia prompta, caſtitate pura, ac vera ſpiritus paupertate, impetra mihi veræ pœnitentiæ ſpiritum, paſsionum mearum generosam victoriam, perversarum inclinatiorum diligentem mortificationem, omnium peccandi occaſionum fugam prudentem: Impetra mihi mortificationem ſalutarem, zelum infatigabilem, modeſtiam exemplarem, vitam regularem, mores ſtatui meo congruos, maxime vero in bonis operibus ac ſancta vocatione mea perseverantiam usque in finem vitæ meæ, ſtabilem ac conſtantem in Dei famulatu voluntatem, ut Divinæ ejus Majeſtati ſincero corde in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus

vi-

vitæ meæ deservire valeam, Amen.

## DEVOTIO AD SS. ANGELOS CUSTODES.

### ORATIO.

Clementiſsime Deus, adeſto ſupplicantium cætui, luciſque ſub crupusculum, lucem novam da mentibus, tuus nobis Angelus adſit ad cuſtodiam, & a contagio criminum nos protegat, draconis noſtri æmuli, versutias exterminet, ne rete fraudulentiæ incauta nectat pectora. Hoc cuſtode procul pelle Rex Chriſte piiſsime, omne nefas inimici, munde corde, & corpore, paradiso redde tuo, nos ſola clementia, Amen.

### HYMNUS.

Cuſtodes hominum psallimus An-
gelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cœleſtis comites, inſidiantibus
Ne ſuccumberet hoſtibus.

Nam quod corruerit proditor Angelus,
Concefsis merito pulsus honoribus
Ardens invidia, pellere nititur;
Quos cœlo Deus advocat.

Huc cuſtos igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita:
Tam morbos animi, quam requiescere,
Quidquid non ſinit incolas.

Sanctæ ſit Triadi laus, pia jugiter,
Cujus perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur, cujus in omnia
Regnat gloria ſæcula. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus,

℟. Et adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

OREMUS.

Deus, qui ineffabili providentia tua, Sanctos Angelos tuos ad noſtram cuſtodiam mittere digneris; largire

su-

supplicibus tuis, & eorum semper protectione defendi & æterna sociatate gaudere. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio, Amen.

*Devotio pro impetranda felici morte.*

## PSALMUS.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua, super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum: ex hoc nunc & usque in sæculum.

Gloria Patri & Filio &c.

Sicut erat in principio, &c.

OREMUS.

Omnipotens & misericors Deus, qui humano generi & salutis remedia: & vitæ æternæ munera contulisti, respice propitius me famulum tuum, & animam refove, quam creasti, ut in hora exitus ipsius absque peccati macula, tibi Creatori suo, per manus Sanctorum Angelorum repræsentari mereatur.

Obsecro clementiam tuam Omnipotens Deus, ut me famulum tuum, gratia tuà confirmare digneris; ut in

hora

hora mortis meæ non prævaleat contra me adversarius, ſed cum Angelis tuis habere merear tranſitum ad vitam, Amen.

ORATIO

*Ad Sanctam Barbaram Virginem.*

Intercesſio, quæsumus, Domine B. Barbaræ Vir: & Mar: tuæ ab omni nos adverſitate protegat, ut per ejus interventum, glorioſisſimum Sacroſancti Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jesu Chriſti Sacramentum, ante diem exitus noſtri, per veram pœnitentiam & puram confesſionem percipere mereamur, Amen.

ORATIO

*Ad Sanctum Camillum.*

Deus, qui S. Camillum, ad animarum in extremo agone luctantium ſubſidium, ſingulari charitatis prærogativa decoraſti, ejus, quæsumus, meritis Spiritum nobis tuæ di-

lectionis infunde, ut in hora exitus nostri hostem vincere, & ad cœlestem mereamur coronam pervenire.

ORATIO

*Ad Sanctam Julianam V.*

Deus, qui B. Julianam Virginem tuam, extremo morbo laborantem, pretioso Filii tui Corpore mirabiliter recreare dignatus es: concede, quæsumus, ut ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone refecti, ac roborati, ad cœlestem patriam perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

*Ad B. Virginem Mariam.*

Christe cum sit, hinc exire,
Da per Matrem me venire,
Ad palmam victoriæ,
Flammis ne urar succensus,
Per te Virgo sim defensus,
In die judicii.

Quan-

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur,
Paradisi gloria.
Fac me cruce custodiri,
Morte Christi præmuniri,
Confoveri gratia, Amen.

## ITINERARIUM

*Antyphona.* In viam pacis, &c.

*Canticum Zachariæ.*

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit & fecit redemptionem plebis suæ.

Et erexit cornu salutis nobis, in Domo David pueri sui.

Sicut locutus est, per os Sanctorum, qui a sæculo sunt, Prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam, cum Patribus nostris; & memorari Testamenti sui Sancti.

Jus jurandum, quod juravit, ad Abraham Patrem, noſtrum daturum ſe nobis.

Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati; ſerviamus illi.

In ſanctitate & juſtitia coram ipso, omnibus diebus noſtris.

Et tu puer, Propheta altiſsimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus; in remiſsionem peccatorum eorum.

Per viscera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.

Jlluminare his, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent; ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Gloria Patri & Filio &c.

Sicut erat in principio &c.

*Antyphona.* In viam pacis, & prosperitatis, dirigat nos omnipotens & misericors Dominus, & Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, ſalute, & gaudio, revertamur ad propria.

Kyrie eleyson, Chryſte eleyson, Kyrie eleyson. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac ſervos tuos,

℟. Deus meus ſperantes in te.

℣. Mitte nobis Domine auxilium de Sancto,

℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis,

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Benedictus Dominus die quotidie,

℟.

℟. Prosperum iter faciat nobis Deus ſalutarium noſtrorum. (bis.
℣. Vias tuas Domine demonſtra no-
℟. Et ſemitas tuas edoce nos.
℣. Utinam dirigantur viæ noſtræ,
℟. Ad cuſtodiendas juſtificationes tuas.
℣. Erunt prava in directa,
℟. Et aspera in vias planas.
℣. Angelis ſuis Deus mandavit de te,
℟. Ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.
℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum,
℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui filios Israel, per maris medium ſicco veſtigio ire feciſti, quiquè tribus Magis, iter ad te ſtella duce pandiſti: tribue nobis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tran-

tranquillum, ut Angelo tuo Sancto comite, ad eum, quo pergimus, locum, ac demum ad æternæ ſalutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuum, de Ur Chaldeorum eductum, per omnes ſuæ peregrinationis vias illæsum cuſtodiſti; quæsumus, ut nos famulos tuos cuſtodire digneris, eſto nobis Domine in procinctu ſuffragium, in via ſolatium, in æſtu umbraculum, in pluvia & frigore tegumentum, in laſsitudine vehiculum, in adverſitate præſidium, in lubrico baculus, in naufragio portus. ut te duce, quo tendimus, prospere perveniamus, & demum incolumes ad propria redeamus.

Adeſto, quæsumus, Domine ſupplicationibus noſtris, & viam famulorum tuorum, in ſalutis tuæ prosperitate dispone; ut inter omnes

viæ,

viæ, & vitæ hujus varietates, tuo ſemper protegamur auxilio: Præſta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam ſalutis incedat, & Beati Joannis præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum, quem prædixit, ſecura perveniat Dominum noſtrum Jesum Chriſtum Filium tuum, Amen.

Procedamus in pace,

In nomine Domini, Amen.

## BENEDICTIO MENSÆ

*Ante prandium.*

*Sacerdos dicit:* Benedicite.

*Respondent:* Benedicite.

*Sacerdos:* Oculi omnium: *Cæteri proſequendo.* ℟. In te ſperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno, aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

S. Kyrie eleyson.
℟. Chriſte eleyson, Kyrie eleyson.
Pater noſter:
S. Et ne nos inducas intentationem;
℟. Sed libera nos a malo.
S. Benedic Domine nos, & hæc dona tua, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.
*Lector:* Jube Domine benedicere.
S. Menſæ cœleſtis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ, Amen.

## GRATIARUM ACTIO
*poſt Prandium.*

*Lector dicit:* Tu autem Domine miſerere nobis ℟. Deo gratias.
S. Confiteantur tibi Domine, omnia opera tua,
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
Gloria Patri &c. Sicut erat &c.
S. Agimus tibi gratias Omnipotens Deus, pro univerſis beneficiis tu-

is,

is, Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, ℟. Amen.

PSALMUS.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson. Pater noster:

S. Et ne nos inducas in tentationem,

℟. Sed libera nos a malo.

S. Dispersit, dedit pauperibus,

℟. Justitia ejus manet, in sæculum sæculi.

S. Benedicam Dominum in omni tempore,

℟. Semper laus ejus in ore meo.

S. In Domino laudabitur anima mea,

℟. Audiant mansveti & lætantur.

S. Magnificate Dominum mecum,

℟.

℟. Et exaltemus nomen ejus, in idipsum.
S. Sit nomen Domini benedictum,
℟. Ex hoc nunc & usque in ſæculum.
S Retribuere dignare Domine, omnibus, nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam,
℟. Amen.
S. Benedicamus Domino,
℟. Deo gratias.
S. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace ℟. Amen.
Pater noſter: *Secreto totum.*
S Deus det nobis ſuam pacem,
℟. Amen.

ANTE CÆNAM.

S. Benedicite. ℟. Benedicite.
S. Edent pauperes:
℟. Et ſaturabuntur, & laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum, in ſæculum ſæculi.
Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

Ky-

Kyrie eleyson, &c. ut ſupra ante prandium.

L. Jube Domine benedicere.

S. Ad cœnam vitæ æternæ, perducat nos Rex æternæ gloriæ,

℟. Amen.

POST CÆNAM.

L. Tu autem Domine miserere nobis. ℟. Deo gratias.

S. Memoriam fecit mirabilium ſuorum, misericors & miserator Dominus.

℟. Escam dedit timentibus ſe.
Gloria Patri &c. Sicut erat &c.

S. Benedictus Deus in donis ſuis, & Sanctus in omnibus operibus ſuis. Qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, ℟. Amen. *Poſtea dicitur Psal: Laudate Dominum: ut ſupra poſt prandium & reliqua.*

## IN NATIVITATE DOMINI

*Ante Prandium & Cœnam.*

S. Benedicite. ℟. Benedicite.
S. Verbum Carofactum eſt, Alleluja.
℟. Et habitavit in nobis, Alleluja.

*Poſt Prandium & Cœnam.*

S. Notum fecit Dominus, Alleluja.
℟. Salutare ſuum, Alleluja.

### PSALMUS.

Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Salvavit ſibi dextera ejus & brachium ſanctum ejus.

Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu gentium, revelavit juſtitiam ſuam.

Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ, domui Iſraël.

Viderunt omnes termini terræ, ſalutare Dei noſtri.

Jubilate Deo omnis terra, cantate & exultate, & pſallite.

Pſal-

Psallite Domino in cithara, in cithara & voce Psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini, moveatur mare & plenitudo ejus; orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt, a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.

